

famæ & boni nominis effectus, quippe per famam tum prodest homo aliis, quos ad virtutem incitat, tum sibi, dum à vitiis aestimatione bonâ, quam apud alios habet, retrahitur, cum divitiis saepe abutatur ad malum.

Obj. 1. Bonum instabilius est minus nobile, sed fama est bonum instabilius divitiis; cum consistat in bona existimatione hominum, quæ facillimè mutatur.

R. Fama est bonum instabilius ex parte fundamenti, in quo fundatur, quod sunt virtutes N. ex parte subjectorum, ad quæ diffunditur Con. divitiæ autem sunt instabiles ex parte fundamenti, cum sint pluribus causibus fortuitis obnoxiae.

Obj. 2. Vita est nobilior famâ; ergo etiam bona fortunæ, quæ sunt accessoria vitæ; eò quod sine his vita conservari non possit.

R. Negando consequentiam ad probationem dico: quod sicut sine bonis fortunæ vita physica non subsistit, ita sine fama non subsistit vita moralis sive homine digna, sicut igitur nobilior est vita homine digna, quam sit vita pure physica prout est homini cum brutis communis, ita etiam nobilior est fama ad hanc vitam pertinens.

DISPUTATIO XXIX.

De Restitutione.

Restitutio est actus proprius justitiæ, quo præstamus, ut aliis iterum habeat rem suam, quæ penes nos est, vel cuius ablationis injusta causa sumus. Præcipitur hic actus præcepto formaliter & explicitè affirmativo, quatenus est obligatio ad aliquem actum positivum videlicet ad repositionem alterius in pristinum statum, radicaliter tamen & implicitè hoc præceptum est negativum, quatenus præceptum restitutio-
nis radicatur in præcepto de non retinendo alieno; hoc ipso

ipso enim, quod justitia nolit per alienæ rei acceptiōēm vel detentionem lādi æqualitatem, suppositā inæqualitate jam factā vult per actum restitutiōis tolli inæqualitatem & reponi æqualitatem.

QUÆSTIO I.

Unde oriatur obligatio restituendi?

Suppono: Quod ex contractu non oriatur tam obligatio restituendi, quam implendi illud, quod in contractum deductum est, sic mutuatarius non tam restituit, quam dat, ad quod dandum vi contractus obligatur, hinc licet in latiori acceptione etiam contractus possit dici radix restituendi, propriè tamen duæ radices restitutiōis assignantur. De quibus

DICO: Secundum primam impositionem nominis restitutio videtur locum habere præcipue in rebus exterioribus, quæ manentes eadem & secundum substantiam & secundum jus Dominii ab uno possunt ad alium devenire, sed... etiam nomen restitutiōis ad hæc derivatur, quæ licet realiter non maneant, tamen manent in effectu vel corporali... vel qui est in opinione hominum. S. Th. hic Q. 62, a. 1. O.

Probatur: Restitutio est actus justitiæ commutativæ, quo Jus alterius lāsum reparamus, atqui illud Jus lāsum reparamus vel rem, quæ eadem existens apud nos alterius dispositioni non subest, eidem restituendo, vel illud, quod per nostram actionem causatum est, resarciendo; & ita duplex est radix restitutiōis. **I**ma *Injusta acceptio*: quando per aliquam actionem vel actionis ex justitiâ debitæ omissionem proximo damnum est illatum; unde, cum restitutio non sit nisi pro inæqualitate vel damno illato, sola intentio nocendi nullam parit obligationem restituendi; dicitur autem: vel omissionem: quia sub injustâ acceptione non tantum comprehenditur injusta damnificatio,

catio, quæ sit per actionem positivam ipsius damnificantis, sed etiam illa, quæ sit per injustam omissionem actionis debitæ; ut si quis ex officio teneatur custodire rem aliquam v. g. famulus equum sui Domini, quem sinat capi à furibus, dum potest & debet impedire. Et hæc obligatio manet etiamsi res accepta pereirit, ut si quis incenderet domum alterius; 2da Radix est res accepta: cum res aliena sive bonâ sive malâ fide detinetur, quæ adhuc pertinet ad dominium alterius. Qualiter res in individuo existens sit restituenda, dicetur Q. III. nunc ut prima radix injustæ acceptioonis paulo latius exponatur, sit. §. 1.

De culpa requisitâ ad hoc, ut quis obligetur ad restitucionem ob damnum illatum.

Nota 1. Culpa alia est *Theologica*, quæ est quodlibet peccatum in foro conscientiæ & coram Deo. *Alia juridica*, quæ est omissio diligentiaz, quâ proximi damnum impediri potuisset, sive in conscientiâ sit peccatum, sive non; & quia hæc negligentia in foro externo consideratur, & secundum eam sententia fertur, vocatur culpa juridica.

Nota 2. Culpa Theologica dividitur in mortalem & veniale. De quâ alibi. Culpa verò juridica opponitur dolo, ita ut dolus sit actio quædam alteri damnoſa, ac describitur, calliditas fallacia vel machinatio ad circumveniendum alium. Culpa verò non sit actio, sed negligentia quædam vel actionis omissio & vocatur: *Alia latissima*, quæ tamen verè est dolus, cum quid agitur vel omittitur ex intentione apertâ & manifestâ, ut proximus damnificetur, uti etiam culpa latior, quando ex actione vel omissione prævidetur secuturum damnum, quod tamen non intenditur, & hæc dicitur dolus præsumptus. Propriè verò dicta culpa juridica dividitur in latam, levem & levissimam; culpa *lata* est omissio diligentiaz quam homines ejusdem conditio-

nis solent communiter adhibere : exemplum esse solet : si domum egrediens ostium apertum reliquisti, unde fures ingressi aliquid rapuerunt. *Levis* est omissionis diligentiae, quam diligentiores & prudentiores adhibent : exemplum est, si clausisti quidem ostium, ita tamen, ut facilè à furibus aperiri potuerit. *Levissima* est omissionis diligentiae, quam adhibent diligentissimi & prudentissimi: v. g. clausisti quidem bene ostium, sed non tentasti, an esset bene clausum, vel non firmasti repagulo aut pessulo : hanc enim diligentiam non adhibent nisi diligentissimi.

Nota 3. Injustam damnificationem ex duplice capite posse esse tantum levem & venialiter culpabilem.
 1. Ob materiam levem, & tunc omnes convenient, esse quidem obligationem restitutionis, sed non nisi sub peccato veniali, sicut etiam ablatio vel detentio rei levis non est nisi leve peccatum. 2. Ob defectum perfectæ deliberationis vel voluntarii, quod iterum duplicitate contingere potest: vel quia non est perfectum voluntarium circa lesionem proximi formaliter sumptam, quod tunc est, quando damnificans habet quidem sufficientem advertentiam & notitiam damni, quod infert, invincibiliter tamen existimat illud damnum esse veniale v. g. scit quidem quod auferat aureum, inculpabiliter tamen putat, illud non sufficere ad mortale; vel potest esse defectus voluntarii circa lesionem materialiter sumptam, quod tunc est: quando non habet sufficientem advertentiam vel notitiam ipsius realis damni, quod proximo per suam actionem infert, ut si auferat gemmam existimans esse vitrum; hic defectus voluntarii facit, quod gravis damnificatio potius sit adscribenda casui; cum desit sufficiens voluntatis influxus, his notatis

DICO: *Ad restitutionem tenetur aliquis ratione injuriosa exceptionis.* S. Th. hic Q. 62, a. 7. O. Sive

ratione solius damnificationis nemo tenetur in conscientia restituere, nisi cum culpâ Theologicâ damnificaverit, quæ si fuerit venialis ob inadvertentiam inculpabilem ad gravitatem damni, non est obligatio ad reparandum totum damnum.

Prima Pars probatur: Deficiente adæquatâ radice restitutionis deficit etiam obligatio restitutionis: quia effectus non potest esse major suâ causâ; atqui si absit culpa Theologica, deficit radix adæquata restitutionis: radix enim restitutionis est injusta formaliter damnificatio: cum lex in tantum gravet ad reparationem juris læsi, in quantum gravat, ne lœdatur Jus proximi; sed lex non gravat, ne inculpabiliter & injustitiâ solum materiali lœdatur Jus proximi: cum lex secundum alibi dicta solum prohibeat & præcipiat actus humanos sive morales à voluntate per cognitionem regulatâ procedentes, sic si dormiens & amens injuriam inferat, sicut non lœdit formaliter Jus proximi, ita nec tenetur ad damnum illatum resarcendum, ob hanc rationem

1. Si quis det operam rei illicitæ v. g. fur furetur, attamen talem adhibeat diligentiam, qualem homines prudentes communiter solent adhibere, ne illum aliud damnum præter furtum inferat, casu autem v. g. incendat ædes, non tenetur in conscientia ad restitutionem damni alterius, quam per furtum illati: cum non intercesserit culpa Theologica respectu incendi.

2. Non tenetur ad restitucionem, qui damnum intulit cum ignorantia merè concomitante: v. g. quis prudenter putans esse feram jaculando per accidens occidit inimicum, licet in tali casu jaculator esset ita constitutus, ut veller occidere inimicum si esset præsens, quia tamen ista voluntas est inefficax, & hic & nunc non influit in illam jaculationem, ac proinde non facit occasionem inimici voluntariam & formaliter injustam, rò quod deficiat culpa Theologica in reali illatione danni, deficit obligatio restitutionis.

Secun-

Secunda Pars probatur : Obligatio restituendi ex titulo injuriæ non debet esse major in suo ordine, quam sit ipsa injuria : quia effectus & radicatum non debet esse majus suâ radice & causâ ; restitutio autem ex delicto imitatur pœnam , estque aliquis effectus pœnalis, qui debet esse proportionatus delicto ; atqui obligatio restituendi totum damnum grave est major in suo ordine, quam sit injusta damnificatio ex culpâ veniali in ordine & ratione injuriæ , ergo ex damnificatione venialiter culpabili non oritur obligatio reparandi totum damnum. Dico : totum : quia juxta sententiam valde probabilem erit ad minus obligatio reparandi partem damni correspondentem culpæ veniali , cum quadamnum est illatum. Ne tamen Conclusio videatur laxior,

Adverte 1. Quando damnum illatum est grave, ordinariè culpa vel negligentia , per quam damnum infertur , censetur mortaliter peccaminosa , nisi de opposito aliunde constet : quia dum quis aggreditur opus externum , cum quo conjunctum est periculum gravis damni , omissione debitæ diligentiae in vitando damno gravi facilè est conjuncta cum advertentiâ & deliberatione vel formaliter vel interpretativè sufficiente ad peccatum mortale.

Adverte 2. Non quæcunque culpa venialis commissa in illatione damni gravis excusat à restitutione, sed tantum illa, quæ est ex defectu sufficientis deliberationis & advertentiæ ad realem & materialem gravitatem damni illati ; nam si quis advertat ad quantitatem damni, quod infert : v.g. ad reale pretium vel valorem pecuniae, gemmæ &c. quam auffert, non est tamen advertentia sufficiens ad formalem malitiam damnificationis, non excusabitur lædens à restitutione totius damni, quemadmodum qui ex proposito damnum alterius resarcendi damnificantem lædit, tenetur ad resti-

tutionem totius damni, quia illud voluntariè fecit, quamvis propositum resarcendi dampnum gravitatem mortalis malitiæ ab illo auferat: mensura enim obligationis restituendi non videtur esse taxanda præcisè juxta malitiam formalem injuriæ, sed juxta gravitatem damni voluntariè & scienter illati, ita ut Lex naturalis justitiae lædentem graver ad tantundem alteri refundendum, quantum scienter & voluntariè læsit, sive in foro conscientiæ graviter peccarit, sive non: hoc enim requirit æquitas justitiae, quæ sicut facit, ut postessor malæ fidei propter conscientiam rei alienæ nullo tempore præscribat, ita facit, ut damnificator malæ fidei propter scientiam damni alieni non excusetur ab onere restitutioonis.

Dices 1. Licet ex culpâ veniali non oriatur obligatio gravis ad reparandum grave damnum, oritur tamen obligatio levis vel sub peccato veniali ad reparandum grave damnum: eò quod, sicut ex gravi culpâ sequitur obligatio gravis, ita ex levi culpâ oriatur obligatio levis.

2. Quod licet ex culpâ levi in materiâ levi oriatur obligatio levis restituendi: quia ibi datur actio injusta cum plenâ advertentiâ & consequenter simpliciter voluntaria; at in præsenti casu, si oriretur obligatio circâ materiam gravem, illa deberet esse gravis: siquidem rei gravis obligatio orta ex Præcepto naturali non potest esse, nisi gravis: cum ergo ad gravem obligationem non detur voluntaria injuria simpliciter, nec ob excessum materiæ possit esse levis obligatio, nulla erit obligatio. Et licet fuerit damnificatio sufficienter voluntaria in ratione peccati venialis, non tamen fuit voluntaria in ratione damnificationis.

Dices 2. Hinc sequitur, quod is, qui per plura minuta furta pervenit ad materiam gravem, non teneatur ad restitutionem totius damni, quia in unoquoque furto non peccavit nisi venialiter.

R. N. consequentiam: quia vel adhuc extat res fur-
tiva apud surripientem, & tunc est obligatus titu-
lo rei acceptæ, ut per se patet, vel non extat amplius,
& tunc est obligatus titulo injustæ acceptio[n]is: siqui-
dem in ultimo furto, in quo advertit vel advertere po-
tuit materiam illius parvi furti una cum præcedentibus
constituere grave damnum proximi, peccavit mortali-
ter contrà justitiam, unde bene damnata est ab Innoc.
XI. hæc propositio 38. *Non tenetur quis sub pœnâ pec-
cati mortalis restituere, quod ablatum est per parva
fulta, quantumcumque sit magna summa totalis, imo
licet fur in ultimo furto non advertat aut advertere
potuerit ad gravitatem materiæ vel connexionem levis
damni per ultimum furtum illati cum præcedentibus
adhuc tenetur ad restitutionem, idque titulo injustæ
acceptio[n]is, quâ voluntariè abstulit rem notabilem,
in quâ non restituens perseverat, licet enim in ultimo
levi furto iniquus acceptor per accidens non advertit
ad connexionem præcedentium furtorum, hoc ipso ta-
men, quod materia illa coaluerit, obligatur gravi &
negativo Præcepto non retinendi rem alienam, & con-
sequenter etiam positivo Præcepto restituendi; unde
quamprimum advertit ad gravitatem materiæ vel dam-
ni, tenetur habere propositum restituendi, quod si
non habeat, peccat mortaliter.*

Q. An aliquis obligetur ad restitutionem ex indire-
ctâ damnificatione?

Sensus Quæstionis est: an ille, qui quidem positi-
vè damnum non intulit, attamen aliquam actionem
v.g. homicidium, incendium: posuit, ob quam alter
innocens damnum patitur, teneatur illud damnum
resarcire?

R. I. Obligatur ex justitiâ ad compensanda illa
omnia, quæ talis innocens per sententiam Judicis ad-
dictus expendere debuit in compensationem danni,
quod

quod ipse directè intulit: quia sicut ex justitiâ erat obligatus illi, quem v.g. occidit, cuius ædes incendit: vel ejus hæredibus satisfacere, itâ etiam est obligatus innocentis, qui suo loco & vice damnum compensavit.

2. Si circumstantiae actionis damnificativæ fuerunt causa & occasio, ut innocentis imputaretur homicidium vel incendium, quia fuit usus vestibus & armis innocentis, dum occideret vel ædes incenderet, vel quia occisum tumulavit in ejus horto, tenetur ad compensandum damnum inde innocentis securum: quia in hoc casu per suum actum moraliter influit in imputationem homicidii vel incendii, & consequenter in damnum, quod innocentis indirecte & per accidens inde emergit, qui habebat jus non quidem formaliter, ut sibi alterius damnosa actio non imputaretur, sed ut damnificans tertium, tali modo non inferret damnum, ex quo nata est sequi talis imputatio.

3. Si merè per accidens sequatur, quod innocentis actio injuriosa imputetur v.g. quia in rixâ minatus est occidere, incendere &c. Probabilis videtur, quod damnificans verus videlicet homicida aut incendiarius non ex intentione, ut imputetur alteri, sed vindictæ sumendæ aut alterius pravi finis non teneatur ad reparationem damni ex tali imputatione securi; *Ratio est:* quia obligatio restituendi in conscientiâ ante sententiam Judicis oritur ex actione efficaciter damnum inferente, atque occisio vel incendium non est actio efficaciter damnum inferens illi, cui per accidens imputatur, si quidem in illud damnum nec physicè nec moraliter influit: neque enim actio injuriosa ideo imputatur innocentis, quia alter læsit, sed propter alias conjecturas, ad quas non concurrit, ut supponitur, quod si adfuerit intentio, ut noceretur insonti, sustineri potest probabiliter, quod ad damnum illud compensandum obligetur ille, qui modo dicto illius indirecta causa fuit:

tum

ia erat ob-
cendit; ve-
gatus inno-
favit.
æ fuerunt
omicidium
mis inno-
pensationes
in hoc ca-
pitatione
damnum
e emer-
bi alterius
minifica-
x quo na-
d vindic-
r ad repa-
Ratio eff-
sententia
inferente
efficacit-
utatur,
oraliter is-
titur inno-
conjectura
od si adju-
potest pro-
ndum ob-
causa tum-
nus

num quia damnum alicui imputatur, si habuerit intentionem nocendi ut L. 2. §. idem labeo 9. ff. de aq. & aquæ plu. arc. lib. 39. tit. 3. de arcente aquam pluviam, ne sibi noceat, quæ nocet alteri, dicitur, quod non possit cum eo agi aquæ pluviae atcendæ: Si modò non hoc animo fecit, ut iibi noceat, sed ne sibi noceat. Igitur opus procedens ex intentione nocendi parit obligationem restituendi, quam de se non paret: quia internus pravus affectus ita potest concungi cum opere externo, ut opus externum, quod absque tali animo affectu & intentione non erat injustum, cum tali tamen affectu & intentione reddatur simpliciter injustum & consequenter obliget ad restitutionem; sic recipiens furem animo fovendi ejus fuita tenetur ad restitutionem; qui autem eundem furem reciperet ex amicitia vel quia consanguineus est, non esset obligatus, ita etiam in materia castitatis faciens aliquam actionem, ex quâ prævidet securitatem pollutionem, si illam faciat, ut pollutio sequatur, est voluntaria & imputatur ad culpam, quod tamen non fieret, si illam ponere absque tali animo ex alio fine licito.

Verum ad hæc pro sententiâ oppositâ, quæ videtur probabilius, responderi potest, quod Lex allegata agat de documento effectivè per aversionem aquæ pluviae illato, unde intentio verè fuit efficax causa damni. Ad aliud: affectus potest quidem facere opus injustum quoad malitiam internam injustitiæ, non tamen quoad realem damnificationem, nisi in opus ut damnosum influat. Ita quoque recipiens furem, si non sit causa furtorum vel non restitutionis dannorum per furtum illatorum: non tenetur ad restitutionem. Aliud est impertinens: quia ut sit actus moraliter malus, sufficit intentio mala, non verò, ut sit efficax causa damni.

Dictum est supra: in conscientia: videlicet ante Judicis sententiam: quia post sententiam Judicis sàpè est

ob.

obligatio restituendi ex titulo damnificationis licet non præcesserit culpa Theologica , mortalis vel venialis : ut constat ex variis legibus lib. 9. tit. 2. ff. ad L. aquil. & ex Jure Canonico cap. fin. de injur. & damno dato lib. 5. tit. 36. in quibus injungitur restitutio damni illati ex culpâ levissimâ & juridicâ ; Lex autem aquilia sic dicta, quod sit primitus lata à tribuno plebis, cui nomen: aquilius : justa & rationabilis est, ut omnes fatentur, cum sit confirmata à jure Canonico , ergo obligat in conscientiâ , non autem ante sententiam Judicis propter nimium rigorem & onus gravissimum seipsum spoliandi suis rebus ob aliquod damnum nullâ suâ voluntate illatum , ideoque magis casui quam voluntario facto adscribendum ; ergo obligabit post sententiam Judicis, ad quain non est necesse prælupponi culpam Theologicam ut patet ex dictis 1. 2. Disput. XX. Q. 1. Ubi ostensum est , quod leges pœnales obligent post sententiam Judicis , tametsi culpa Theologica non præcesserit, sed sufficit præcessisse culpam juridicam.

§. 2.

De culpa qua in quasi contractu vel vero contractu commissa inducit obligationem restituendi.

Omne officium , cui obligatio justitiæ ad aliquid præstandum annexa est, dicitur quasi contractus: ut officium Judicis, Advocati, Tutoris, Curatoris &c.

DICO 1. *Ad restitutionem tenetur aliquis.... indirecte , quando aliquis non impedit , cum possit & debeat impedire.* S. Th. hic Q. 62. A. 7. O. Sive obligati ex officio aliorum damnum impedire tenentur ex culpâ latâ & Theologicâ ad restitutionem , idem est de iis , qui ex officio tenentur aliis bene consulere , si ex consilio incurvant damnum.

Prima Pars probatur: qui suscepit aliquod officium ad aliorum utilitatem ordinatum non est causa injusta damni , nisi volens omiserit diligentiam, quam communiter

muniter ejusdem conditionis vel officii homines adhibere solent : quia ad majorem diligentiam se non voluit obligare ; ergo non tenetur ad restitutionem ex iniustâ acceptione , nisi adsit culpa lata & simul Theologica ; hinc Medicus, Advocatus, Parochus, Tutor, Curator non obligatur ad restitutionem damni , nisi illud secutum fuerit ex hoc , quod scienter communem similis conditionis hominum diligentiam omiserit , nisi vel mercede conducti sunt , ut aliquid faciant v.g. Medici, Advocati, Procuratores, Tutores, Curatores, tunc enim quia utilitatem percipiunt , videntur teneri ex culpâ levi , si videlicet scienter omiserint , quod diligentiores præstare solent , & exinde secutum fuerit damnum ; idem est , si expresse vel tacite promiserint majorem vel maximam diligentiam ; tacite censetur is promittere majorem aut etiam maximam diligentiam , qui se cæteris diligentiorum ac peritiorem profitetur , ac hoc modo aliis oblatâ suâ operâ eosdem ad se pertrahit , hinc Advocatus tali modo alias ad se alliciens tenetur restituere tantum , quanti æstimatur spes obtinendi victoriam litis , si adhibita fuisset major aut maxima diligentia.

Secunda Pars probatur : qui ex officio tenetur consulere , debet habere communiter sufficientem scientiam , quâ si careat , & nihilominus consulat , est verè causa damni ex eo consilio securi : cum enim ex communi opinione gerens tale officium judicetur habere scientiam officio debitam , si revera talis scientia desit , consulens ex culpâ latâ est causa , ut alter decipiatur. Hinc confessarius, Parochus, Jurisconsultus ratione ignorantiae , quam potuerunt & debuerunt deponere male & noxiè consulentes, v.g. contractum injustum , restitutionem ei , qui non erat obligatus restituere , quia v.g. præscripsit , tenentur ad restitutionem , unde Greg. IX, cap. fin. de injur. & dam. dat.

lib. 5. tit. 36. *Sic culpa tuâ datum est damnum, vel injuria irrogata, seu aliis irrogantibus opem forte tulisti, aut hæc imperitiâ tuâ, sive negligentia evenierunt, jure super his satisfacere te oportet, nec ignorantia te excusat, si scire debuisti ex facto tuo injuriam verosimiliter posse contingere vel jaeturam.* Alias qui ex officio non consulit, ex consilio noxio non obligatur juxta R. J. 62. in 6. *Nullus ex consilio, dummodo fraudulentum non fuerit obligatur; ubi excipitur consilium fraudulentum datum alias non facturo v. g. si suadeat quis injuriato, ut vindictam sumat de injuriante, si quis suadeat ut det mutuum debitori, quem scit non esse idoneum ad solvendum eo fine, ut ipse tantundem ab eodem sibi ex aliâ causâ debitum acquirat arg. L. quod si cum scires 8. ft. &c. dolo malo lib. 4. tit. 3.*

Cessat verò hæc restituendi obligatio etiam in illis, qui ex officio consulunt, si non positivè suadeant, sed tantum dicant suam esse opinionem, relinquant autem consulenti melius dijudicandum aut ab aliis exquirendum, vel si indicent se de veritate rei dubitate: quia tunc non sunt causæ efficaces damni: idem est de eo, qui insufficiens ad bene consulendum alteri insufficientiam ipsius scienti dedit consilium damnosum, hic non tenetur ad restitutionem; cum scienti & volenti non fiat injuria, nisi forte agatur de damno tertii, cui malo consilio v. g. de non restituendo, damnum infertur.

Obj. Secundum rationis æquitatem & communem hominum sensum plus obligatur ad damnum alterius evitandum, qui tenetur ad hoc ex officio, quam qui solum ex communi hominum convictu; sicut plus tenetur & ad majorem diligentiam in custodiendâ re alienâ, qui tenetur ad hoc ex contractu, quam qui extra illum; atqui ex communi hominum convictu & extra

con-

contractum quisque est obligatus adhibere communem diligentiam, quam homines communiter solent adhibere, ne alteri damnum inferatur; ergo ex officio tenetur quis majorem diligentiam adhibere, & consequenter obligabitur ad restitutionem non solum ex latâ sed etiam ex levi culpâ etiam seclusâ expressâ vel tacitâ promissione.

R. Permissio ant. N. consequentiam: culpa enim potest esse duplicitate levis: imprimis absolute: quia inspecta & considerata secundum se existimatur ut levis. Deinde respectivè, quæ respectu hominum ejusdem conditionis & statûs est levis, & ideo etiam potest esse culpa gravis respectivè nempe respectu hominum certi statûs, quæ etiam sit respectivè levis respectu hominum alterius statûs: culpa enim lata vel gravis tunc dicitur, quando quis non adhibet diligentiam, ad quam instar aliorum in eodem statu tenetur; cum igitur, qui ex officio vel contractu obligantur, debeant adhibere majorem diligentiam: hæc enim major diligentia communiter à prudentibus tali casu adhibetur, omissione hujus diligentiae erit culpa lata non absolutè, sed respectivè ad obligatos ex officio, per quam distinctionem concordantur sententiæ contrariæ in præsenti materiâ.

DICO 2. *Aliquis accipit rem alterius in utilitatem suam absque injuriâ... Et tunc ille, qui accepit... tenetur recompensare ei, qui gratiam fecit: quod non fiet, si per hoc damnum incurrat... aliquis accipit rem alterius absque injuriâ non pro sua utilitate, sicut patet in depositis... si ei subterahatur res absque sua culpâ non tenetur ad restitutionem: secus autem esset, si cum magna sua culpâ rem depositam amitteret. S. Th. hic Q. 62. a. 6. O.* Sive qui ad diligentiam obligatur vi contractûs tenetur ex solâ culpâ juridicâ pro diversitate contractuum, & quidem ex Jure positivo in conscientiâ ante sententiam judicis.

Ima Pars explicatur & probatur : Omnis contraetus validus habet vim & est aciam obligandi non tantum juxta expressam voluntatem contrahentium secundum R. 85. J. in 6. *Contractus ex conventione legem accipere dignoscuntur*, ita ut in conscientia obligentur contrahentes ad implendum omne illud, quod exprimunt in contractu absque ulteriori titulo, etiam ultra naturam contractus : siquidem in hominis potestate est constitutum, ut plus vel minus possit suam libertatem erga alterum restringere, ut si velit unus contrahentium se alteri obligare ad suscipiendum periculum & compensationem damni emergentis, et si nulla culpa nequidem juridica intervenerit; verum etiam, si serio velint contrahere, licet non exprimant, secundum naturam contractus a Jure definitam: quia illam obligationem suscipiunt, hoc ipso, quod secundum Jus contrahant: secundum diversitatem igitur contractuum obligantur adhibere diligentiam vel maiorem vel minorem, quam diligentiam si omiserint etiam inculpabiliter, obligantur compensare damnum, secundum dispositionem Juris, ex quo

Imò Est obligatio restituendi in contractu cedente in solius accipientis utilitatem: ut est contractus commodati, in quo datur alteri res utenda ad certum & determinatum tempus gratis, ob damnum ex culpâ levissima ortum, ut habetur in cap. un. lib. 3. tit. 5. de commod. ubi dicitur; *Cum gratia sui tantum quis commodatum accipit, de levissima etiam culpa tenetur*: Idem habetur in L. in rebus 18. ff. lib. 13. tit. 6. commodati. In qua in fine: *Hac ita, si duntaxat accipientis gratia commodata sit res & §. item is 2. instit. quib. mod. re contr. oblig. lib. 3. tit. 1 §. hæc ponitur differentia inter mutuum & commodatum* (videlicet gratuitum) *is quidem qui mutuum accepit, si quolibet casu fortuito amiserit, quod accepit, veluti incen-*

incendio, ruinâ, naufragio aut latronum hostiumve incursu, nihilominus obligatus remanet. At is qui utendum accepit, sanè quidem exactam diligentiam custodiendæ rei præstare jubetur: nec sufficit ei tantans diligentiam adhibuisse, quantam suis rebus adhibere solitus est, si modo alius diligentior poterat eam rem custodire. Excipitur precarium, quod datur ad nutum revocabiliter & hinc quia dependet à mera liberalitate concedentis non tantum in principio sed etiam in medio & fine, qui proinde puram facit utenti gratulum, hinc tantum recipit dolum & culpam latam L. contractus 23 ff. de RR. J. lib. 50. tit. 17. & L. quæsum 8 §. eum quoque 3 ff. de prec. lib. 43. tit. 26.

2dò. In contractu cedente in solitis dantis utilitatem, quale est depositum, quo res gratis custodienda traditur (nisi sit contractus mandati, qui etiam levem vel juxta quosdam levissimam culpam prohibet) quantum est obligatio restituendi ex culpa lata non autem levi vel levissima constat ex §. præterea & is 3. instit. secund. mod. re contrah. oblig.

3tiò. In contractu, qui cedit in utriusque utilitatem est obligatio restituendi ex culpa lata & levi, non autem levissima ut habetur in L. contractus 23. ff de RR. J. & §. creditor 4. instit. quib mod. re contrah. oblig. & ratio horum est: quia æquitas naturalis suadet, ut majori diligentia servetur res aliena, quando illius utilitas vel tota vel ex parte redundat in servantem, sed in contractibus primi generis rei utilitas tota pervenit ad servantem, in contractibus secundi generis nulla, in contractibus tertii generis aliqua; ergo in primi generis contractibus major requiritur diligentia, & consequenter primi generis contractus levissimam secundi generis latam, tertii generis levem culpam excludent.

Secunda Pars explicatur & probatur; quamvis in-
2. 2. Theol. Schol. Pars posterior. H. trā

trà limites solius juris naturalis nemo teneatur de damno dato in re aliena , nisi ob dolum vel culpam latam Theologicam ex quâ sit obligatio in conscientia ante Judicis sententiam restituendi: quia jure naturæ nemo tenetur adhibere majorem diligentiam in rebus alienis, quam in re propriâ , & quam præstisset Dominus , si res apud ipsum fuisset ; ergo si res pereat sine omissione talis diligentiae non peribit damno injustè illato ; at qui de jure naturæ nemo tenetur in conscientiâ , nisi de danno injustè dato ut suprà dictum est : supposito tamen jure positivo est obligatio : quia vel ex-vel implicitè in contractuum est deducta : contrahentes enim saltem implicitè se obligant ad custodiam juxta formam legibus præscriptam , sed forma legibus præscripta est , ut in certis contractibus requiratur major vel maxima diligentia , & sic obligatio ex culpa levi vel levissima ; ergo , posito contractu & lege exigente maximam diligentiam , alteri contrahentium est jus quæsitum ad exigendam talem diligentiam & reparationem damni dati ex defectu talis diligentiae , & consequenter ex parte alterius est obligatio & debitum legale , etiam ante Judicis sententiam , præstandi ejusmodi reparationem.

Confirmatur : Supposita voluntate contrahendi & justa lege obligante ad majorem diligentiam , omissio talis diligentiae est respectivè culpa lata , & si scienter omisserit obligatus , aut cognitâ suâ negligentia omittat restituere est simul culpa Theologica : culpa enim quæ absolutè & comparativè ad alios contactus habetur pro levi vel levissima , in contractu cedente in solius accipientis utilitatem v.g. in commodato , est culpa lata : Culpa enim lata est omissio diligentiae communiter adhiberi solitæ , sed major solet adhiberi diligentia ad rei commodatæ quam depositæ custodiam ; ergo si major vel maxima diligentia omittatur , culpa , quæ absolutè foret levis vel levissima , fit culpa lata ; & ita sacerd

sæpius contingit, ut etiam pro diversitate materiae vel subjecti culpa, quæ alias haberetur pro levi, lata & gravis efficiatur: sic major requiritur diligentia in sculpendo pretioso quam communi lapide, in curando uno quam altero genere morbi.

Ex his colliges. Si damnificatio sit merè fortuita & casualis absque omni culpâ tam juridicâ, quam Theologicâ, ut si res commodata casu, qui humana diligentia averti non potuit, perierit, nulla est obligatio restituendi ut habetur cap. un. de commod. quia res suo Domino perit, si nulla intercessit culpa vel pactio ratione, cuius teneatur rem servans ad damnum resarcendum, quod additur: quia si res casu fortuito perireat, sed casus fortuitus in contractu fuit appositus; aut commodatarius sit in mora restituendi, id est: quando non restituit, dum potest & debet. Et res eodem casu & tempore apud dominium non periisset. Aut si re aliter utatur quam in contractu conventum fuerit, ut si equus commodatus est ad arandum, & commodatarius illo utatur ad pericolosum iter, in quo equus perit; in his casibus etiam obligatur ad reparandum damnum, quod fortuitò accidit.

Q. 1. An sit obligatio restituendi ex contractu sub conditione operis turpis vel peccaminosi exercendi conditione impleta. *Addo.* *Conditione turpi impletâ:* quia ante opus peccaminosum impletum, certum est, quod ille, qui aliquid accepit sub conditione, ut opus turpe faceret, obligetur ad restitutionem rei acceptæ: cum sit obligatus ut opus, sub cuius conditione premium accepit, non impleat.

R. 1. Si turpitudo sit extrâ materiam justitiae, non est ex jure naturæ obligatio restituendi premium acceptum pro opere peccaminoso; *Ratio est:* quia vel esset obligatio restituendi ex re accepta: id non: quia res estradita in premium rei venditæ jam exhibitæ, ut sup-

ponitur, non ex acceptione injusta : quia turpitudo & dishonestas actionis v.g. in meretrice non oritur ex titulo injustitiae, sed alterius vitii v.g. incontinentiae.

2. Etiam si turpitudo sit intrà materiam justitiae, tamen non est obligatio restituendi premium acceptum, sed solum damnum tertio causatum v.g. Saga accepit premium à Titio ad nocendum Petro, illa peracto beneficio nihil est obligata restituere Titio, sed solum tenetur compensare damnum illatum Petro. *Ratio est :* quia in tantum tenetur restituere, in quantum læsit justitiae æqualitatem ; sed hanc non læsit respectu Titii dantis premium, sed solum respectu Petri damnificati ; ergo nihil Titio contrahenti & danti premium, sed Petro injustè damnificato tenetur restituere. *Dixi : de jure naturæ :* nam legibus positivis meritò ejusmodi contraëtus damnantur & premium acceptum est restituendum ut videtur colligi ex L. pacta C. lib. 2. tit. 3. de pact. ubi dicitur : *pacta, quæ contrà leges constitutionesque vel contrà bonos mores sunt, nullam vim habere indubitate juris est* ; quod tamen valet solum post sententiam Judicis, nisi in casibus expressis à jure, in quibus aliquæ personæ redduntur incapaces, ut pretii recipiendi possint acquirere dominium.

Q. 2. An sit restituendum premium acceptum pro opere bono ?

R. Vel opus bonum est debitum illi, qui dat premium, vel est indebitum : si indebitum, modo aliunde nulla sit absurditas, velut in Simonia, certum est, posse accipi premium v.g. si pecuniam accipias, ut pro altero jejunes : si sit opus debitum vel est debitum ex justitia, vel alia virtute : si ex justitia sit debitum, premium est restituendum : quia accipere pro re jam debita premium est lædere æqualitatem & cogere alterum ad emendum rem suam, adeoque est injusta acceptio pa-

riens

riens obligationem restituendi ; hinc Judex tenetur restituere , quidquid accepit pro ferenda sententia justa, sive à litigante sive ipsius amicis. Debitores tenentur restituere , quando nimirum protelationibus debita solutionis cogunt creditores ad remittendam partem debiti ; si autem opus sit debitum non ex justitia sed alia virtute v.g. charitate vel Religione tantum, nunquam est obligatio restituendi ex justitia , quia extra materiam justitiae non oritur obligatio justitiae, potest tamen esse obligatio ex motivo alterius virtutis restituendi v.g. vovisti dare Ecclesiae Calicem triginta aureorum , & Ecclesia tibi dat sex aureos , si votum solveris, non poteris retinere sex aureos, siquidem illis detractis decrescit valor triginta aureorum , ad quem tamen ex Religione voto eras obstrictus.

§. 3.

De restitutione facienda ob laesionem injustam in aliis, quam fortuna bonis.

DICO: *Cum conservare justitiam sit de necessitate salutis; consequens est, quod restituere id, quod injustè ablatum est alicui, sit de necessitate salutis S. Th. hic Q. 62. A. 2. O.* Sive lædens injustè in bonis corporis vel animæ tenetur ex justitia ad restitutionem in bonis reparabilibus in eodem ordine , non verò in bonis irreparabilibus.

Probatur Conclusio generaliter : restitutio est actus justitiae, quo inæqualitas facta tollitur & æqualitas reponitur ; atqui si læsio sit facta in bonis reparabilibus, potest tolli hæc inæqualitas , & reponi æqualitas ; non verò in bonis , quæ sunt irreparabilia : quia nunquam fieri potest, ut læsus id recuperet in re vel in æquivalenti , quod per injuriam perdidit , quidquid enim restituatur , non datur illud , quod fuit per injuriam ablatum , nec illi , secundum quod ad usum huma-

num servit, datur æquivalens; ergo qui læsit in bonis corporis & animæ quoad ea, quæ sunt reparabilia, tenetur ad restitutionem, non verò quoad irreparabilia, ut lædens non teneatur ex justitia in bonis alterius ordinis ullam compensationem facere. *Dixi: ex iustitia:* quia proximo læso in bonis v.g. corporis teneatur specialiter charitatem exhibere, qui læsit. Ut autem ad singula bona, in quibus proximus læditur, Conclusio applicetur.

Q. 1. Qualiter ad restitutionem vel ipsi læso, aut ejus hæredibus obligetur injustus vulnerator, mutilator, occisor?

R. 1. Tenetur ad restitutionem dannorum realium, quæ vel vulnerato, aut mutilato: vel occisi hæredibus aut iis, quos ex iustitia alere tenebatur, inculit: quia quicunque fuit injusta causa damni reparabilis, tenetur ad restitutionem; atqui damna realia sunt reparabilia: videlicet quæ illata sunt propter impensas in vulneris curatione factas, ob lucra cessantia, alimenta subtracta iis, quos vulneratus aut occisus ex iustitia aut pietate aluiisset, tumultationem funeris aliquin non tot sumptibus faciendam, aliaque, quæ per circumstantias facti declarantur; ergo vel læso vel hæredibus facienda est in talibus restitutio. *Dixi: ex iustitia vel pietate aluiisset:* quia iis, quibus ex sola liberalitate vel charitate profuisset mutilatus vel occisus nulla debetur restitutio, sed hæredibus necessariis, quibus ipse occisus obstrictus erat videlicet Uxori, Parentibus & Liberis, estque quantitas hujus restitutio-nis taxanda arbitrio prudentum, attentâ rurum quantitate alimentorum, rurum temporis, quo eadem percepissent, & quia non tanti æstimatur spes, quanti ipsa res, ex æquo & bono in hac restituzione procedendum est, ut, quantum quisque sibi suisque, si damnum passi essent, judicaret esse debitum, tan-

tundem

in bonis
parabiliis,
reparabi-
s alterius
i: ex ju-
oris tem-
Ut au-
lae dico
lae, a-
r, munib-
rum m-
vel odi-
atur, b-
ni repa-
mna real-
ropre in-
cessant
occisus e-
meris ali-
, que p-
so vel h-
Dixi: a-
bus ex fa-
vel occisa
necessariis
Uxori, Pa-
restitutio-
ruim qua-
eadem per-
s, quanti-
tione pro-
bi suisque
um, tu-
tundem

tundem quoque præstet illis, quos injustè occidendo
vel mutilando læsit.

2. Licet plures tum ob verba S. Thomæ infrà ad-
ducenda, tum ex generali ratione præstandi læso qua-
lemcunque possibilem satisfactionem probabiliter susti-
neant, etiam pro ipsis damnis personalibus in corpo-
re homini libero illatis faciendam esse restitutionem:
attamen probabilius videtur, nullam deberi ex justitiâ
restitutionem pro talibus damnis in corpore homini
libero illatis; desumitur ex L. cum liberi. ult. lib. 9.
vit. 3. ff. de his, qui effuderint vel dejecerint: in quâ
ità: Cum liberis hominis corpus ex eo, quod dejectum effu-
sumve quid erit, læsum fuerit, iudex computat mer-
cedes medicis præstas, cateraque impendia, que in
curatione facta sunt & præterea operarum, quibus ca-
ravit aut cariturus est ob id, quod inutilis factus est:
cicatricum autem aut deformitatis nulla fit estimatio;
quia liberum corpus nullam recipit estimationem.
Quibus satis manifestè significatur, quod non sit ob-
ligatio justitiæ ante sententiam Judicis restituendi dam-
num ex natura sua irreparabile: eo quod vita ablata
aut deformitas cicatricis æstimari & reparari non pos-
sit, unde hæc formatur ratio: quæ non sunt pretio
æstimabilia, pro iis non datur compensatio, sed vita
& membra hominis liberi non sunt pretio æstimabilia,
neque veniunt in contractum, prout significatur in
d. L. ergo pro iis non datur compensatio. *Dixi: ho-*
mini libero illatis: quia corpus vel vita servi non mi-
nus, quam vita & corpus jumenti, pretio æstimam-
tur, & ejus jactura computatur inter damna realia
Domini, unde qui servum læsit in vitâ vel integritate,
tantum restituere debet, quanti poterat vendi, vel
quanto pluris vendi potuisset, aut Domino suo lucrari,
si mutilationem vel cicatricem non recepisset.

Obj. 1. Juxta S. Th. hic Q. 62, A. 2. ad 1.

H 4

Quando

Quandoid, quod est ablatum, non est restituibile per aliquid aequale, debet fieri recompensatio, qualis possibilis est; putà cum aliquis alicui abstulit membrum, debet ei recompensare, vel in pecunia, vel in aliquo honore, consideratà conditione utriusque personæ secundum arbitrium boni viri & in 4. Dis. 15. Q. 1. A. 5. Qu.là 2. ad 2. dicendum dicit: quod restitutio principaliter inventa est in damnis, quæ inferuntur in bonis fortune, quæ restituvi possunt, in his autem, quæ objectio tangit, quæ non possunt ad simile bonum restituvi, debet fieri restitutio, qualis possibilis est scilicet ad arbitrium bonorum; ergo ex S. Th. etiam pro damnis personalibus est restitutio facienda.

R₂. S. Th. loquitur de mulcta poenali per Judicem imponenda, non verò de debito naturali restitutionis, vel significat debitum morale charitatis, & pro foro poenitentiae, in quo Confessarius ad talem restitutionem in bonis alterius ordinis obligare potest.

Obi. 2. Non potens reddere aequale, debet reddere quantum potest, tametsi enim impossibilitas excusat à tanto, non tamen à toto, ideo qui debet 1000. & non potest solvere nisi 100. tenetur ad 100. ergo qui lèdit in bonis superioribus, in quibus non potest restituere, tenetur compensare in bonis inferioris ordinis, quantum potest.

R₂. Qui non potest reddere aequale, tenetur reddere quantum potest, si possit in eodem genere & ordine Con. Si non possit nisi in diverso genere & ordine N. Sic juxta omnes qui foret causa damni spiritualis, non est obligatus illud resarcire pecuniis, qui commisit adulterium, non tenetur pro irrogatâ injuriâ pecuniis satisfacere. Ratio autem disparitatis est, quia potens restituere partem bonorum ejusdem ordinis, ponit initiativę aequalitatem; sed qui non nisi bona alterius ordinis dare potest, nullo modo ponit aequale etiam

ex

ibile per
tali pos-
rum, de-
lquo ho-
sonae se-
• Q. 1.
od restu-
inferum
is autem
onum re-
st scilicet
pro dam-
Judicem-
tutionis
pro foro
estitutio-
et redde-
itas excu-
et 1000
oo, ergo
on potest
ioris ordi-
ur redde-
& ordi-
& ordine
spirituali
i commi-
arriā pec-
quia po-
nis, ponit
ia alterius
ale etiam
et

ex parte illi , quod injustè ablatum est. Unde neque est obligatio justitiæ , ut homicida aliquid restituat pro anima occisi v.g. dando eleemosynas , procurando sacrificia &c. quamvis sit saluberrimum consilium , ut ista fiant & meritò confessatii homicidæ similia imponant.

Q. 2. Qualiter teneatur restituere injustus deflorator?

R. Qui puellam vi vel fraude vel metu injustè incusso violavit absque matrimonii promissione , obligatur in conscientiâ ; ut vel ducat in conjugem , vel dampnum ex defloratione secutum reparet , eam dotando ; quod si prudentum judicio in certis circumstantiis non possent aliter damna illa compensari quam corruptam ducendo , ad id præcisè tenetur corruptor in conscientiâ , alias non ; sæpè tamen in foro externo per sententiam judicis , ut ducat , imponitur & tunc post sententiam judicis in conscientiâ obligatur ducere.

Dicitur 1. Vi vel fraude &c. quia qui volentem virginem defloravit , ad nullam tenetur restitutionem : non virgini : quia volenti non fit injuria ; non Patri : quia deflorator virginis non peccat plus contrà Jus paternum , quam ipsa deflorata ; atqui illa non peccat contrà Jus paternum , ut omnes admittunt ; ergo nec deflorator in conscientiâ . Quod addo : quia ex L. 1. §. 5. ff. de injur. lib. 47. tit. 10. Patri vel tutori puellæ competit actio contrà defloratorem , qui si per sententiam judicis sit condemnatus , tenebitur præstare Patri satisfactionem per modum pœnæ.

Dices : cap. 1. de adulter. & stup. lib. 5. tit. 16. dicitur: Si seduxerit quis virginem nondum defonsatam , dormieritque cum eâ dotabit eam &c. Ergo licet nulla vis fraudis vel metus intervenierit obligabitur stuprator.

R. Si precibus , blanditiis , persuasionibus graviter arbitrio prudentum sollicitaverit , esse obligatum :

quia tales sollicitationes æquiparantur coactioni, secus est, si preces, blanditiæ & persuasiones non fuerint valde graves.

Dicitur 2. Absque matrimonii promissione: quia si corruptor decipit virginem sub spe matrimonii, tenerur in conscientiâ illam ducere: quia cui aliquid promittitur sub conditione operis onerosi, positâ conditione acquirit Jus contrâ promittentem; ergo puerilla concessio usu sui corporis acquirit Jus ad matrimonium, *nec obstat*, quod forsan animo facto promisit; quia in contractu oneroso utraque pars tenetur ex justitiâ se obligare ad id, quod in contractu significatur; cum ergo deflorator ex justitiâ debeat dare consensum in matrimonium, quam in alterâ parte per fictionem injuriosè extorsit, debebit determinatè consentire in matrimonium, nec satisfacit offerendo æquivalens.

Excipluntur sequentes casus 1mo. Si puella potuit facile advertere fictionem. 2. Si fictè promittens sis longè diutior & nobilior. 3. Si fornicata sit cum alio. 4. Si ipsa se finixerat divitem, virginem. 5. Si ex tali matrimonio sint secutura plura mala & scandala.

Q. 3. Qualiter teneatur adulterer restituere?

R. 1. Adulterer si moraliter sit certum, ex adulterio natam esse prolem, tenetur cum adulterâ pro rata concurrere & in defectum alterius quisque in solidum ad reparandâ oratione damna, quæ legitimis Filiis & hæreditibus in alimentis & hæreditate obveniunt.

Ratio est: quia quisque tenetur reparare damnum, cuius ipse injusta causa est, sed adulterer est injusta causa illius damni, quod Filii legitimi patiuntur ex suppositione spurii. Ergo; *Dixi:* si moraliter sit certum ex adulterio natam esse prolem: si enim nulla sit secuta proles, vel dubium sit an ex adulterio sit nata proles, ad nullam tenetur restitutionem. *Ratio 1mi est:* quia licet

ni, secus
rintvaldi
missione:
utrimoni;
ui aliquid
osirā con-
ergo pue-
matriamo
promisi;
ir ex justi-
nificatur;
onsensum
ictionen-
entire
valens.
ella potu-
mittens fi-
cum alio,
s. Si a-
& scan-
adultere
pro ran-
n solidum
is Filiis &
obveniunt
damnum
ijusta ca-
ex suppo-
certum es-
sit secura-
ta proles;
est; qui
licet

licet per adulterium marito & matrimonio fuit illata
inuria, illa tamen est irreparabilis. *Ratio 2di est:*
quia in dubio melior est conditio possidentis.

2. Adultera & adultera prole non secuta ad nihil te-
nenetur, si res lateat, si vero marito innotescat, te-
nenetur ad satisfactionem honorariam per petitionem
veniae, si proles sit secuta & constet eam esse conceptam
ex adulterio, adulter tenetur ad eam alendam ab anno
tertio exclusivè, mater vero usque ad annum tertium,
eodem casu tenetur uterque ad compensanda damna
omnia, quæ ex suppositione spuriae prolis obveniunt ma-
rito & legitimis liberis: quia uterque est causa efficax
istorum damnorum, si probabiliter dubitetur: an pro-
les sit concepta ex adulterio uterque tenetur ad compen-
sationem damnorum pro ratione dubii; licet aliqui
tunc omnino excusent: cum in dubio melior sit con-
ditio possidentis.

3. Adultera ad avertendum malum, quod ex sup-
positione spurii infertur legitimis, non tenetur adul-
terium prodere cum detramento suæ famæ. *Ratio*
est: tum quia non constat quod per manifestationem
adulterii possit damnum avertere: cum Filius spurius
non teneatur matri credere; tum quia licet constaret,
quod per revelationem damnum sit compensandum,
attamen cum mulier tantum dederit causam, ut dam-
num in fortunis inferretur, non obligatur illud resar-
cire cum detramento famæ: quia fama est bonum su-
perioris ordinis.

Q. 4. Qualiter obligetur restituere infamans?

R. Qui alterius famam vel honorem injustè læsat
tenetur restituere etiam cum detramento proprii hono-
ris & famæ. *Ratio est:* quia quisque tenetur damnum
illatum reparare, si illud sit reparabile in bonis ejus-
dem ordinis non obstante proprio damno vel incom-
modo; atqui honor & fama sunt bona reparabilia;

Ergo,

Ergo tenetur restituere , nisi vel condonaverit aut remiserit infamatus , cuius fama non sit necessaria ad vitandum scandalum aliudve damnum proximi , vel sit moraliter impotens : ut cum restitutio non possit fieri sine multò majori damno famæ vel sine periculo vitæ . Vel casset damnum ut si infamia abiit in oblivionem , aut aliâ viâ recuperata sit fama . Vel si absque culpâ Theologicâ alius sit infamatus , quo casu non est quidem obligatio restituendi cum notabili damno , si tamen absque notabili incommodo fieri possit , est obligatio restitutionis : quia illa materialis diffamatio adhuc perseverat in memoriâ hominum apud quos adhuc moraliter perseverat lœsio alienæ famæ , nisi tollatur . Addunt denique alii compensationem mutuam , si is quem infamasti , te etiam infamavit , tunc dicunt te posse famam alteri ablatam aliquamdiu non restituere , donec alter tuam restituat : licet enim infamatus peccaverit infamando , non tamen differendo restitutionem ex causâ recuperandi propriam famam .

Q. 5. Qualiter ad restitutionem obligetur damnificans in spiritualibus ?

R. Qui intulit damnum alteri in bonis spiritualibus tenetur ad restitutionem in bonis ejusdem ordinis , Ratio est : quia in ejusmodi bonis competit homini Jus rigorosum , quod si sit lœsum & reparabile , est obligatio justitiae illud reparandi ; hinc in praxi in spiritualibus sequenti modo restitutio est facienda .

1. Qui alium veneno , phyltro vel maleficio privavit usu rationis , tenetur , quantum est in se , removere maleficium , & procurare remedia contrà datam potionem , & reparare omnia damna ex tali potionē vel maleficio secuta .

2. Licet error speculativus nulli noxius (aliud est si sit error practicus , ex quo grave damnum sequitur , vel sit error speculativus in fide) in alterius intellectu catus

satus non contineat gravem injuriam; alias narrans nova falsa circà res indifferentes aliud nocumentum non afferentia graviter contrà justitiam peccaret, quod nimis durum esset. Attamen professor, vel magister ex officio docens scientiam vel artem & pro veris sententiis tradens falsas aut improbables, vel falsa principia, ex quibus multæ falsæ conclusiones deduci possunt, tenetur errores corriger: quia cum ex officio teneatur docere aliquam artem vel scientiam, discipulis gravem infert injuriam eorum intellectum falsitatibus replendo.

3. Cui ex officio incumbit cura animarum & salus subditorum ut prælato, Parocho &c. tenetur ex justitiâ ad reparanda damna, quæ ex neglectu officii consequuntur: sic conficiens Sacramentum in materiâ dubiâ, cum habeat certam, etiam tenetur ad restituionem: quia lœdit Jus suscipientis, quod habet, ut sibi in certâ materiâ Sacramentum administretur.

4. Qui alium per vim vel fraudem induxit ad peccatum, tenetur ex justitiâ vim vel fraudem tollere: quia ratione ingenitæ libertatis quisque habet Jus rigorosum, ne impediatur à bono, & inducatur ad malum; aut autem peccet mortaliter, qui alium vi vel fraude inducit ad peccatum veniale, disputatur: negativa videtur ve- rior: quia peccatum veniale in suo genere est leve malum, quâ de causâ homo, sibi procurando & volen- do peccatum veniale, non graviter peccat; ergo etiam alteri illud procurando; *Nec refert*, quod peccatum veniale absolute sit majus malum, quam gravis morbus; ad hoc enim ne fiat gravis injuria, sufficit quod sit in suo genere leve malum, unde etiam causando sibi gravem mortbum vel mortem aliquis graviter pec- caret, qui tamen non graviter peccat sibi causando peccatum veniale. Et hæc regulariter tenent, extraor- dinariè enim potest esse peccatum mortale.

i. Si homi-

hominem perfectum & sanctum vi aut dolo induceret quis in aliqua peccata venialia. 2. Prælatus regularis subinde peccat mortaliter per negligentiam & fieram convenientiam dans subditis suis occasionem, ut faciliiores sint ad culpas veniales committendas, vel passim transgrediantur regulas sub nullâ etiam veniali culpâ obligantes: quia ex officio tenetur subditorum perfectiōnem procurare.

5. Qui vi vel fraude meditante ingredi religionem vel novitium vel professum à religione abducit, tenetur ex justitiâ omnem vim & fraudem amovere, omnia damna compensare sive personæ sive religioni ex tali seductione emergentia: eò quod utriusque pati injuriam intulerit, immo tenetur procurare media, ut seductus ad statum religiosum redeat, nisi hæc media seductus habeat in suâ potestate, tunc enim si ipse retractus vel seductus possit facile redire, & damna reparare, nec tamen redeat, non jam censetur invitus sed volens talia damna pati.

6. Peccat contrà justitiam graviter & tenetur ad restitutionem, qui novitio absque causâ negat suffragium ad professionem: quia illis quibus competit per suffragia admittere novitium ad professionem, sunt instar Judicium & testium, qui debent ex officio sententiam proferre juxta merita causæ; sed judex vel testis sine causâ contrà innocentem testificans vel proferens sententiam peccat contrà justitiam; estque inter novitium & monasterium tacitus contractus, ut si probatus inventus fuerit habilis, admittatur ad professionem; ergo si capitulares illum rejiciant, peccant contrà contractum & justitiam.

Nec obstat, quod novitius possit absque gravi peccato & injuriâ monasterii vel religionis discedere.

Nam contrà est: Quod in tacito contractu, quo se novitius tradit ad probandum religioni, religio se obli-

obliget ad recipiendum novitium ad professionem, si inventus fuerit habilis, non autem obligat se novitus, ut maneat in ordine, sed tantum ut patiatur se probari, quantum & quamdiu sustinere potuerit & voluerit.

QUÆSTIO II.

De circumstantiis & ordine restitutionis.

Circumstantiæ hic exponendæ sunt potissimum locus & expensæ, quæ in redditione faciendæ sunt. Aliæ enim videlicet tempus, quo quis, & cui restituere debeat tum ex dictis constant, tum infrà examinabuntur; ubi certum est, quod, quando non ob injustam lœsionem, sed vi contractūs v. g. mutui vel venditionis aliquid debetur, circumstantiæ debeant desumi ex voluntate contrahentium tacita vel expressa; ut illo loco, tempore, modo debeat dari, de quo convenitum est, & si alio loco fiat, aut ultrà definitum tempus impletio contractūs differatur, tenetur debitor ad compensandum damnum, quod creditor inde patitur cum pœna adjecta L. magnam, 12. C. de contrah. & commit stipul. lib. 8. tit. 38. quod si nullum tempus sit præfixum, debitor non ante censabitur in mora culpabili esse, nec tenebitur ad restitutionem, antequam creditor debitum petiverit; sed hæc petitio necessaria non est, quando contractui additur Juramentum: quia Juramentum viam interpellationis habet, & obligat, ut quam primum debitum reddatur ac si esset petitum: Deus enim invocatus in testem censeretur statim urgere, ut hoc fiat, quod sub invocatione sui nominis promissum est.

Deinde ordo restitutionis aliud est ex parte debitoris: quando quæritur quis præferatur in obligatione restituendi. De hoc Quæst. sequente. Alius est ex parte credito-

ditoris : quando queritur : cui prius sit facienda restitutio , & de hoc agitur in praesenti.

DICO 1. Si ille cui debet fieri restitutio ... sit multum distans , debet sibi transmitti , quod ei debetur . S. Th. hic Q. 62. a. 5. ad 3. Sive restitutio est facienda expensis injusti debitoris in loco , quo Dominus rem erat alias habiturus .

1ma Pars conclusionis explicatur & probatur : Injustus acceptor non tantum tenetur rem ipsam restituere , sed etiam Dominum servare indemnem , & damnum resarcire , quod sequitur ex injustâ acceptione ; esset autem damnum creditoris , si teneretur ad expensas faciendas pro suâ re recuperanda ; quod si tamen Dominus etiam aliquas expensas in ejusmodi rei asportatione fuisset facturus : v. g. expensas telotii , accisiae &c. illas injustus acceptor deducere potest ; licet enim Dominus debeat servari indemnitis , non tamen lucrum debet habere ex restitutione ; quod haberet , si injustus acceptor expensas , quas alias Dominus in transportatione facere debuisset , ferret . Restitutio est facienda in contractibus in loco , ubi res debitori fuit tradita , & illius sumptibus , in cuius utilitatem contractus est initus ; sic in redditione commodati expensas dabit commodatarius , in redditione depositi depositus , in emptione vel mutuo restitutio fieri , ubi merces vel mutuum acceptum , aut ubi tacite vel expressè conventum , & sumptibus reddentis aut solventis .

2da Pars probatur : Qui est injusta causa , quod Dominus non possit de suâ re disponere in eo loco , in quo res sibi alias utilis foret , nisi esset ab iniquo invasore sublata , debet eandem rem sub potestate Domini reponere ; atqui nisi injustus acceptor rem ad locum transferat aut transmittat , in quo Dominus alias rem erat habiturus , impedit Dominum , ne de re suâ possit in suam utilitatem disponere ; ergo ;

Dixi

Dixi: in iusti debitoris, quia debitor bona fidei non ad plus obligatur, quam ad rem acceptam, quoad cætera indemnisi servari debet; si igitur expensas fecerit in asservandâ vel reddendâ re, illi sumptus à creditore sunt refundendi, quos si ille refundere nolit, res usque ad opportunitatem reddendi servanda est, vel juxta expressam vel præsumptam creditoris voluntatem sequestro in depositum tradi potest.

Circà ordinem restitutionis. *Nota 1.* Quando bona debitoris sufficiunt ad solvendum cunctis creditoribus debitum nullus ordo vel prælatio inter creditores est servanda sed singulis debitum integrè est solvendum, si tamen exigente jure naturali & obligatione justitiæ commutativæ, idcirco tantum quæritur de ordine servando, quando non sufficiunt bona debitoris ad satisfaciendum omnibus.

Nota 2. Ad varia in prælatione creditorum respiciendum esse scilicet an habeant Jus reale vel personale adversus debitorem; an bona restituenda Jure proprietatis pertineant ad creditorem, an ad debitorem; an aliqui ex creditoribus habeant pignus & hypothecam, tamque vel specialem vel generalem, privilegiatam vel non privilegiatam. Porro hypotheca est contractus, quo Jus ad solutionem ex re debitoris capienda confertur, & differt à pignore quod istud contineat traditionem rei, hypotheca verò constituatur nudâ conventione absque traditione rei; alia est generalis, quæ omnia bona debitoris obligantur; alia specialis, quæ respicit determinatum aliquid bonum v. g. domum, prædium &c. tacita est, quæ rebus imponitur à legge in favorem certorum creditorum non requisito consensu Domini seu debitoris, qualem habet pupillus in bonis tutoris & debitoris pro malâ administratione, uxor in bonis mariti pro dote; expressa est, quæ sic

2. 2. *Theol. Schol. Pars posterior.* I actu-

actuali & deliberata conventione partium. His notatis.

DICO 2. Per restitutionem fit reductio ad æqualitatem commutativæ justitiae, que consistit in rerum adæquatione... hujusmodi autem rerum adæquatio fieri non potest, nisi ei, qui minus habet, quam quod suum est suppleretur, quod deficit. S. Th. hic Q. 62. 2. §. O. Sive in restitutione hic ordo servandus est, ut habentibus majus Jus sive in re sive ad rem satisfiat præ aliis.

Probatur: Ratione in conclusione allegatâ: restitutio est actus justitiae commutativæ ponens æqualitatem rei cum Jure activo alterius; atqui nunquam ponitur æqualitas rei cum Jure activo alterius, nisi habentes majus Jus præferantur iis, qui habent minus Jus; laeditur enim Jus eorum, si æquentur in restitutione habentibus minus Jus. Ex quo sequitur, quod hoc ordine debeat fieri restitutio.

1mò Debita realia nullo attento ordine sunt integrè restituenda creditoribus Jus reale habentibus, quamvis omnes alii creditores vacuis manibus sint discessuri.

Ratio est: quia creditoribus realibus Jus proprietatis habentibus res ipsæ sunt obligatæ, quæ ipsis proinde absque iniustitiâ denegari non possunt, ideoque præ omnibus bona deposita, commodata, pignora suis Dominiis sunt restituenda.

2dò Si res sit venditâ ab Ecclesiâ, fisco, minore, debet solvi pretium vel ipsa res ante omnes alios venditori est restituenda. *Ratio est*: quia legum constitutione rerum à talibus emptarum dominium non transfertur mutuo contractu & traditione, nisi pretium solvatur, ideoque talia bona, ubicunque sint, vendicari possunt. Si curator §. ff. lib. 49. tit. 44. de Jure fisci. Idem est, si res sit empta & tradita sine interventu pignoris vel fidejussoris nec vendens secutus sit fidem emptoris id est

est, credito pretio vendiderit, sed nudâ ementis promissione de pretio mox solvendo (& itâ sub conditione pretii solvendi tradendo) contentus fuerit: quia etiam in hoc casu non est dominium translatum sed manet penes venditorem §. venditæ 41. instit. lib. 2. tit. 1. de rer. divis. si autem accessit aliqua conditio ad transferendum dominium rei emptæ sufficiens, multi volunç emptorem non teneri ad rei emptæ vel pretii restituçionem venditori præ aliis; quia cum venditor amplius non habeat Jus reale in rem venditam, non est cur aliis tâ: reli creditoribus præferatur; quamvis oppositum videatur æquitati naturali conformius, ut talis venditor, si res vendita extet, aliis creditoribus præferatur.

3^o Solutis ex bonis debitoris, si sit defunctus, expensis funeris, & ultimæ infirmitatis juxta L. penult. ff. de reli. & sumpt. fun. lib. 11. tit. 70. creditores hypothecarii sunt præferendi non hypothecariis. *Ratio est:* quod creditor habens plus juris strictius obligantis in solutione præferendus sit creditoribus habentibus minus Juris; sed qui habet hypothecam, habet plus Juris, quam simplex creditor & Chirographarius: præterquam enim quod habeat Jus personale in debitoris, quod omnibus creditoribus est commune, insuper habet Jus reale in hypothecam: esto enim, quod Jus hypothecæ non sit Jus dominii aut proprietatis, est tamen verum Jus reale, nec aliâ de causâ dantur hypothecæ, nisi ut debita magis assecutentur, quam si non forent hypothecata, quod si adsint plures hypothecarii, ille qui prior est tempore præferendus est posterioribus: tum per R. 54. J. in 6. *Qui prior est tempore potior est jure.* Tum quia Jus posterioris hypothecarii non potest præjudicare Juri prioris.

4^o Habens hypothecam privilegiatam præfertur habenti non privilegiatam, quantumvis sit posterior, sc bona mariti tacitè sunt obligata uxori ejusque libe-

132 DISPUTATIO XXIX.

ris pro dote, qui ideo præferuntur aliis habentibus priorem hypothecam tacitam non privilegiatam; quoad hypothecam anteriorem expressam non convenit inter AA. videantur dicta Disp. XIX.; Q. IV. §. 4. Affirmativa videtur probari, tum quia loquitur generaliter L. assiduis fin. §. adhæc 1. Cod. qui potior, in pign. hab. lib. 8. tit. 18. tum quia dos præfertut iis, qui in domum reficiendam crediderunt pecuniam Nov. 97. de æqualit. dot. cap. his consequens 3. hi verò præferuntur etiam aliis expressam hypothecam habentibus, quibus salvam pignoris causam fecerunt L. §. & 6. ff. qui pot. in pign. lib. 20. tit. 4. tum quia in eadem Nov. 97. cap. quia verò & hujusmodi 4. præfertur solum is qui in militiam emendam: id est officium aliquod palatinum, ex quo certus erat redditus, credit, mulieri: exceptio verò firmat regulam in contrarium. 2. Gaudet privilegio prælationis, qui dat mutuum ad emptionem vel extructionem, quam sibi pactus est in pignus vel hypothecam per L. licet 7. C. qui potiores &c. 3. Qui dat mutuum ad conservandam rem alteri generaliter & specialiter hypothecatam ex L. interdum §. ff. qui potiores &c. 4. Pupillus per suum tutorem dans mutuum ad emptionem alicujus rei facit illam tacite sibi hypothecam, tametsi expressè non paciscatur. 5. Dans mutuum pro causâ militiae habet hypothecam gaudentem Jure prælationis etiam (ut dictum est) ante dotem. 6. Etiam hypothecam publicam habens: id est in judicio coram judice datam, vel coram notario & testibus factam, præfertur habenti privatâ tantum scripturâ firmataam. 7. Hypothecæ contractui oneroso appositæ habentur pro privilegiatis respectu aliarum, quæ apponuntur debitum gravitatis.

¶ Inter alios creditores personales non hypothecarios nec privilegiatos nullus datur ordo prælationis, nec proin-

proinde uni præ alio est facienda solutio, sed debitor, qui non est omnibus solvendo, tenetur pro ratâ singulis restituere servatâ proportione Geometricâ: in nempe, ut si jura creditorum sint diversa, plus Juris habenti plus solvatur, si autem sint æqualia, etiam singulis æquales portiones dentur. *Ratio prioris* est: quia si esset aliqua obligatio unum creditorem præferendi alteri, foret ex præcepto justitiae sive naturali sive Juris positivi; atqui nullum est assignabile: quia in obligatione restituendi non attenditur ad causas, ex quibus oritur, nempe an oriatur ex delicto vel ex contractu, sed ad ipsam quantitatatem Juris alterius reparandam, unde si damna sint æqualia, æqualis est obligatio restituendi, quantumvis fuerint ex diversis causis data: Ergo cum jura personalia inter se sint æqualia; neque enim plus Juris habet à quo 100, abstulisti, quam qui 100. tibi mutuavit, tametsi illi sis debitor ex delicto, isti verò ex contractu; non est servandus ordo prælationis. *Ratio posterioris*, quod singulis proportione restituenda debitor, est: quia lex justitiae exigit ut cuilibet creditori solutio si non ex toto saltem fiat ex parte, sed non cuilibet debitum meliori modo potest ex parte solvi, quam si singulis detur tanta portio, quanta juxta Geometricam proportionem inter creditores inæquales responderet quantitati Juris singulorum.

Obj. Illa debita sunt prius solvenda, quæ cum majori injuriâ & peccato sunt contracta: æquum enim est, ut prius recedatur à gravioribus peccatis.

R. Negando maj. non enim attenditur injuria, sed magis Jus creditoris, nec propterea magis receditur à peccato, si neglecto creditore ex contractu solvatur creditori ex debito, tunc enim committitur nova injuria, dum inter duos habentes æquale Jus uni solvitur totum, alteri nihil.

QUÆSTIO III.

Quinam obligentur & quid restituendum?

Non solum qui injuriam infert, sed etiam alii qui cunque ad eandem efficaciter cum causâ principali concurrunt, tenentur ad restitutionem. Potissimum verò ad injuriam vel damnum concurritur novem modis, qui his versibus ex primuntur:

*Jussio, Consilium, consensus, palpa, recursus
Participans, mutus, non obstans, non manifestans.*
Per sex priores directè & positivè concurritur ad injuriam, ideoque qui uno ex his modis efficaciter & executivè fuerit cooperatus ad damnum proximi, teneatur ad restitutionem, etiamsi damnum, quod his modis illatum fuit, fuisset ab aliis etiam inferendum: quia non tantum causa efficax damni est, quæ si abesset, effectus non fieret, sed etiam illa, quæ ità movet ad inferendum damnum, ut si ipse vel alias similis non moveret, damnum non esset inferendum. Tribus posterioribus modis solum privativè & indirectè damnum infertur, ideoque nullus ex tribus modis ultimis ad restitutionem tenetur, nisi quis ex officio vel contra-
etu fuerit obligatus ad avertendum damnum. De omnibus his generaliter

DICO 1. *Quinque præmissorum semper obligant ad restitutionem: primo jussio; quia scilicet ille, qui jubet est principaliter movens... secundò consensus, in eo scilicet, sine quo rapina fieri non potest, tertiore recursus, quando scilicet aliquis est receptator latronum & eis patrocinium præstat: quartò participatio, quando scilicet aliquis participat in criminе latrocinii & præda: quinto tenetur ille, qui non obstat, cum obstat re teneatur... in aliis autem casibus enumeratis non semper obligatur aliquis ad restituendum. S. Th.*
hic Q. 62. a. 7. O.

Pro:

Probatur 1. Conclusio Generaliter ratione, quam
involvit: quicanque est causa efficax damni injusti,
tenetur ad restitutionem, qui verò non concurrit effi-
citer ad damnum, non est obligatus restituere: cum
restitutio tendat ad reparationem damni injustè cau-
sati.

Deinde specialiter exponitur quoad singulos:

1. *Ratione iussionis* ad restitutionem obligatur, qui
ex-vel implicitè mandavit damni illationem, implicitè
mandant magnates dicendo: quis me vindicabit?
quantam gratiam mereretur qui tales occideret? quo-
modo Henrico II. Angliae Regi imputata fuit occiso-
nem, tenetis
his mo-
endum
i abesse
noveri
nilis m
Tribu-
ctè dan-
is ultimis
el comm
Deon
obliga-
ille, q
consefu-
tertior
latronu
io, qua-
ocunq
cum n
umerat
, S. T
alii qui
isā prim
Potissi
r noven
ur sui
nifestan
ad inju
ex & ea
i, tem
nilis m
se in suo regno cum uno sacerdote pacem habere non
posse, unde nefarii satellites aestimantes se Regi gratum
facturos Sanctum virum occiderunt. A quâ tamen resti-
tutione excusatur, imprimis si mandatum reverà non
fuerit executioni datum; Deinde si mandatarius jam

erat ad damnum inferendum paratissimus, ità ut man-
dato nec motus nec confirmatus fuerit ad damnum ce-
leriùs vel animosius inferendum. Denique si man-
dans mandatum efficaciter ex-vel implicitè revocaverit,
ad quod generaliter requiritur, ut ità mandatum re-
vocetur, ut mandatarius de cætero non censeatur am-
plius eo mandato ad iniquam actionem moveri, sed
merè suâ malâ voluntate, ideoque revocatio debuit in-
notuisse omnibus mandatariis tam mediatis quam im-
mediatis. Licet enim per dolorem de mandato ante
executionem mandati censeatur illud revocatum esse
coram Deo, non tamen quoad mandatarium in ordine
ad impediendam injuriam, quæ reverà adhuc ex illo
mandato infertur. Notant autem aliqui, quod man-
dans licet excusatus sit ob revocatum mandatum, po-
test tamen quandoque obligari ad restitutionem ex
alio capite: scilicet, quia est non obstans: cum enim

mandans soleat esse superior mandatarii, & mandatum dederit de inferendo damno, ex utraque illa conditione conjuncta confurgit in illo specialis obligatio impediendi damnificationem, & tenetur ad id adhibere diligentiem operam, quam alius, qui nec est superior, nec causam damni verosimiliter secuturi dedisset, quod si Dominus jussisset minus damnum v.g. si famulis mandaverit, ut Titium insigniter percuterent, non autem occiderent, illi autem excedentes limites mandari verberando occiderent, tenetur totum damnum reparare, supposito, quod ex circumstantiis facti & personarum prævidere debuerat vulnerationis & occisionis periculum morale; si vero tantum ratihabeat damnificationem v.g. famulus nomine Domini damnum infert, quod Dominus non jussit sed agnoscens esse factum, tantum ratificat, non tenetur veluti æquivalenter mendans ad restitutionem, cum non sit causa damni: quia factum præteritum non dependet à secula ratificatione, nisi ratihabitio esset causa quod damnum illatum continuaretur. Non obstat R. 10. J. in 6. Ratihabitionem retrotrahi, & mandato non est dubium comparari. Juxta quam cap. cuius 23. de sent. excom. in 6. lib. 5. tit. II. Declarat ratihabentem percussionein Clerici suo nomine factam incurrere excommunicationem; quia dicta R. J. habet locum quoad contractus & pœnas in foro externo ex dispositione juris; in ratione tamen restitutionis non habet locum: cum ille solum restitutioni sit obnoxius, qui revera damnum intulit; in cap. cit. specialiter iste tanquam consentiens punitur.

2. *Ratione consilii*: qui damnum alteri efficaciter suavit inferendum, tenetur ad restitutionem, ut patet ex cap. sicut dignum 6. §. 3. de homicid. lib. 5.

tit. 12. Debet autem tale iniquum consilium scien-
ter vel cum ignorantia ad minus vincibili datum esse
juxta superius dicta , consulens excusatur à restitu-
tione , imprimis si jam omnino parato auferre majus
consulat, ut auferat minus, si solummodo hoc agat,
ut à majori damno avertat , adeoque agat potius
utiliter damnificandi negotium. Deinde si parato
furari hodie consulat , ut auferat cras : tunc enim
non influit in substantiam , sed dilationem actus,
quæ de se non est injuriosa. Prætereà si parato duo-
bus inferre damnum suadeatur , ut uni inferat , vel
si parato alterutri inferre damnum suadeatur , ut ei
inferat , cui minus nocet : quia tunc consulens non
facit injuriam illi , cui damnum infertur , sed dicit
in genere : potius minus malum est eligendum,
quam majus , frumentum fieri debeat. *Dixi* : si para-
to alterutri nocere : quia non est licitum suadere
futi volenti gravem injuriam inferre Petro , ut mi-
norem inferat Paulo : non enim licet impedire
damnum Petri cum injuria Pauli , & facere mala,
ut eveniant bona , nisi forte Paulus ob suam opulen-
tiā existimaretur non graviter latus sum dam-
num ad avertendum damnum Petri multò majus.
Denique si consilium ante illationem damni efficaci-
ter revocetur. *Dico* : efficaciter : quia consilium
damnosum vel fuit , falsum vel verum : si fuit fal-
sum : quia v.g. dixisti contractum esse licitum , qui
est illicitus , medicinam nocivam esse bonam ; si
priusquam fiat contractus vel sumatur medicina ,
sufficientibus mediis ostendis , te fuisse deceptum ,
efficaciter revocas consilium , ideoque si alter tuā
revocatione neglectā perget nocere , non jam tuo
consilio sed suā malitiā inductus nocet , si vero roga-
tus consilium ostendisti commoditatem nocendi v.g.
procurandi abortum , furandi ; & dedisti verum &

nocivum consilium, vel dedisti rationes & motiva, quare v.g. te vindicate sit gloriosum &c. consilium inefficaciter revocas, si alter non obstante revocatione consilium sequitur: quia tamdiu remanent illa tua motiva, quibus operans ad nocendum inducitur; sicuti si arma alteri ad nocendum dedisses, maneres concusa homicidii tametsi illum à scelere avocasses.

Nec est paritas inter mandatum revocatum & consilium: quia mandans movet per significationem suæ voluntatis, proinde si indicet voluntatem contrariam, non amplius movet, consulens verò inducit ob pondus rationum suggestarum, quæ tamdiu movent, quamdiu per contrarias rationes non sunt enervatae, ut igitur non amplius in damnum influat, debet rationes propositas enervare, non autem purè consilium retractare.

3. *Ratione consensus:* is qui consentiendo efficaciter concurrit ad injustam alterius actionem tenetur ad restitutionem; est autem alius consensus, qui consistit in sola approbatione facti, sic, ut nullo modo sit causa, quare illud vel animosius vel absolute fiat, quo casti, et si consentiens peccet, non tamen tenetur de damno fecuto. Alius consensus est causa efficax alterius damni, dum non solum illud approbatur, sed etiam per approbationem alterum movetur ad inferendum damnum, ita ut sine ejus consensu damnum non fieret, & tunc tenetur consentiens ad restitutionem; hinc qui suo suffragio subscribit causæ iniquæ nondum sufficienter conclusæ, tenetur ad restitutionem: quia suo suffragio positivè influit in damnum proximi, secus est, si jam ante suum suffragium fuerit causa sufficienter conclusa: quia tunc nullo modo est causa damni, quod jam sufficienter causatum supponitur.

4. *Palpans* tenetur ad restitutionem, si adulando, laudando, irridendo alium ad inferendum damnum instiget v.g. si offendit irrideat; ignominiam improperet, ejus generositatem & nobilitatem extollat; quo facto aut dicto alius ad ulciscendum movetur.

5. *Ratione recursus* ad restitutionem obligatur, qui recipit seu protegit damnificantem, aut rem ablatam, ita ut injuriæ deinceps tantò securius aut gravius inferri possint, aut illatæ non recompen-sentur.

6. *Ratione participationis* est obligatus ad restitu-tionem, si vel participaverit in prædâ eam scienter cum fure consumendo, dividendo &c. vel si parti-cipaverit in injustâ damnificatione v.g. aperiendo fenestras, tenendo scalas, agendo excubias &c. Si faber furi clavem tradat ad aperiendam seram; si tamen actio, ad quam participans concurrit non sit intrinsecè mala, sed de se indifferens, quamvis à damnificatore ad damnum inferendum peccatur, tunc excusatur participans ratione metus mortis vel alterius gravis mali à restitutione; sic remiges Chri-stiani apud Turcas, & Rustici, qui injustas militum prædas avehunt, excusantur, si enim gravis metus excusat injustum detentorem à restitutione rei alienæ, quantò magis debet excusare innocentem in præbenda aliqua actione, quæ non nisi ex mala intentione & usu furis est alteri perniciose, nec potest Dominus, quoad illos angariatos esse ra-tionabiliter invitus.

7. Ex negativè cooperantibus tenetur ad restitu-tionem *mutus*: si ex officio tenetur & efficaciter po-test impedire damnum imperio, minis, monitis & nihilo minus silet & dissimulat. *Non obstans*: si cum teneatur auxiliis per se vel alios injuriam pro-pulsare,

pulsare, hoc facere negligat. Non manifestansq; si perpetratam ab alio injuriam occultet; cum illam possit & teneatur ex officio revelare. Ex quibus sequitur, quod famulus, qui videt, quod aliis conservus Domino aliquid surripiat, & tacet, non peccet contrà justitiam, nec teneatur ad restitutionem, nisi cura & custodia rei domesticæ illi fuisset commissa, tenetur tamen ad restitutionem, si videat & permittat damnum ab extraneo irrogari: quia etiam si specialis vigilancia ipsi non fuerit commissa, communamen hominum sensu & aestimatione ex ipsa ratione famulatus censetur habere connaturalem obligationem contrà extraneos impediendi dannos sui Domini.

DICO 2. Principaliter tenetur restituere ille, qui est principalis in facto: principaliter quidem præcipiens, secundariè verò exequens: Et consequenter alii per ordinem, uno tamen restituente illi, qui passus est damnum, alius eidem restituere non tenetur, sed illi, qui sunt principales in facto, Et ad quos res pervenire, tenentur aliis restituere, qui restituerunt. S. Th. l. cit. ad 2.

Explicatur prima Pars: hic ex parte obligatorum ad restitutionem debet servari ordo.

1. Tenetur primo loco restituere, apud quem res furtiva sive in se sive in æquivalenti extat, sive bona sive malâ fide illam possideat: quia tunc adest titulus rei acceptæ, cuius prima & fortissima est obligatio.

2do Loco tenetur restituere, qui fuit causa principalis & physice executiva damni, id est, qui physicè proprio nomine nemine mandante damnum exequitur. Is enim tenetur præ omnibus causis moraliter cooperantibus: quia ordo restitutioonis respondere debet ordini damnificationis, ita ut

ut qui partes potiores habet & est principalior in
damnificando, etiam debeat habere potiores par-
tes & esse principalior in restituendo; sed qui pro-
prio nomine & physicè influit in damnum, magis
influit & principalius, quam qui solum moraliter
nomine alieno, & solum instrumentaliter influit;
ergo etiam debet præferri in restituendo; porro si
plura agentia physica principaliter concurrant ad
damnum, juxta majorem vel minorem inæquali-
tatem concursus plus minusve contribuere debebunt
ad compensationem damni.

3. Inter causas morales debitor principalis est
mandans vel minis impellens, qui etiam tenetur
solvere ante executores & mandatarios habentes so-
lum rationem instrumenti physici. Sic magis tene-
tur Dux ad compensandam injustam deprædatio-
nem, quam milites tantum exequentes imperium
Ducis, si verò sint plures mandantes, unus im-
mediatus alter mediatus, prius obligatur mediatus:
quia magis principaliter & effectivè influit quam
immediatus.

4. Causæ secundariæ & accessoriæ, quales sunt
consulens, laudans, consentiens, receptans, ju-
vans non tenentur restituere, nisi in defectum prin-
cipalis & tunc omnes æquè primò nullo servato or-
dine; siquidem nulla ex ipsis est alteri subordinata
per modum instrumenti, & qui majorem habet
partem damnificationis, majorem quoque debet
habere partem restitutionis, post hos tenentur
restituere negative concurrentes absque ordine in-
ter illos.

Secunda Pars explicatur: si plures concurrant ad
idem damnum, & unus eorum integrè solvat, reli-
qui obligantur vel deobligantur secundum sequen-
tes Regulas.

1. Quando

1. Quando singuli habent partem prædæ uno integrè restituente, tenentur reliqui illi suam partem refundere, *Ratio est*: quia quilibet tenetur ratione rei acceptæ, & quilibet fuit in morâ; alias ex sua mora alii commodum reportarent, dum uno restituente ipsi non tenerentur, deinde ille, qui integrò solvit, succedit in locum veri Domini de jure, & consequenter alii debent ipsi solvere, quod deberent solvere Domino: putà quisque partem.

2. Si ille, qui habet totam prædam, restituat, cæteris sunt liberi: non enim aliquid debent Domino, cui jam est satisfactum; non alteri, qui restituit: dum ille solum id fecit, quod facere debuit, nec in suis habet quid minus; præterea si quid illi deberetur, reportaret commodum ex sua iniq[ue]itate.

3. Si ille, qui fuit dux criminis, non acceperit prædam, ipse tamen integrè restituat, ille qui habet prædam tenetur Duci restituere cæteris absolutè liberis; *Ratio est*: quia ut dictum est, qui totum restituit, succedit in locum Domini, cui est satisfactum, & consequenter ille, qui rem habet, tenetur alteri, qui totum restituit, totum reddere, alii vero sunt liberi, eoipso, quod nihil acceperunt, nec in aliquo sunt facti ditiores.

4. Si Dux criminis illatum damnum reparavit, alii sunt liberi: quia dux ille tenetur alios concorrentes servare indemnes, & manet obnoxius damage, quod aliis ex sua instigatione posset obtingere, dum suâ inductione talis damni fuit vera causa; hinc inducens alios contrahit quasi duplē oblationem: unam cum aliis satisfaciendi vero Domino, aliam satisfaciendi & servandi alios à se inducos indemnes.

5. Si eo casu unus ex inductis integrum solverit,

alii

alii minus principales tenerentur illi solvere, quisque suam partem, dux autem deberet singulis restituere suam partem; *Ratio prioris est*: quod cum omnes ad damnum concurrerint, obligarunt se ad satisfaciendum integrè in defectum aliorum, quod sit, ut unus ex minus principalibus solvens integrè succedat in locum veri Domini, cui sicut singuli debent dare suas partes, ita & illi easdem dare debent; *Ratio posterioris est*: quod Dux ille debeat alios minus principales servare indemnes.

6. Si communico filio omnes damnum intulerint, si unus integrè restituat, tenentur alii refundere illi suas partes: sicut enim omnes sunt socii damni, ita omnes sunt socii obligationis restituendi, adeò ut inter eos sit quasi contractus societatis; ac proinde quilibet pro sua parte obligetur, licet quisque in solidum deficientibus aliis debeat Dominum satisfacere.

Q. Si damnificatus remittat debitum uni ex concurrentibus ad damnum, an alii sint liberi. *Dico: debitum*: aliud est enim remittere actionem debitum repetehi in judicio, aliud remittere ipsum debitum: potest enim illa actio remitti manente debito in foro conscientiæ.

R. 1. Si damnificatus remittat debitum principaliō, cæteri sunt liberi ex eo, quod, ut ante dictum est, eo restituente reliqui sint liberi; ergo dum illi remittitur, remittitur etiam reliquis.

2. Si debitum remittatur minus principalibus, obligatur adhuc Dux ad restitutionem: quia principalis manet semper obligatus, licet minus principales restituant, quos debet servare indemnes; cum ergo alii minus principales non restituerint, manet ipse tanquam causa principalis obligatus Domino.

3. Si

3. Si alicui ex minus principalibus sit remissum debitum, non ideo reliqui sunt liberi: eò quod illa remissio concernat solum partem illius, cui remittitur manentibus aliorum obligationibus, debet tamen detrahi pars remissa alteri: eò quod creditor non possit remittere alicui cum præjudicio aliorum; quia singuli debent solum suas partes.

DICO 3. Homo tenetur ad restitutionem ejus, in quo aliquem damnificavit. Sed aliquis damnificatur dupliciter: uno modo, quia suffert ei id, quod actu habebat. Et tale damnum est semper restituendum secundum recompensationem aequalis... alio modo si damnificet aliquem impediendo, ne adipiscatur, quod erat in via habendi. Et tale damnum non oportet recompensare ex aquo S. Th. hic Q. 62. A. 4. O.

Prima Pars probatur: qui est causa, ne injustè damnificatus habeat illud, quod alias habebat, debet ad reparandam æqualitatem totum illud restituere; atqui in quo realiter damnificavit, illo caret injustè damnificatus ex culpa damnificantis & alias toto illo certè non careret, ergo debet totum illud, ut reparetur æqualitas, restituere.

Secunda Pars probatur: qui impedit alium, ne assequatur illud, quod erat alias obtenturus, non privat ipsum re obtentâ, sed solum viam obtainendi occludit, ergo non tenetur illud restituere ad quod obtainendum in via erat, cum illud nondum habuerit, sed quasi estimatur spes illud assequendi.

Ut verò pleniùs ducatur, quid restituendum sit, præmissâ distinctione inter possessorem bonæ & mali fidei.

Q. 1. Quid & qualiter rem ipsam debet restituere malæ fidei possessor?

R. Iniquus possessor tenetur rem ipsam, si extet, integrè Domino restituere, si yetò non extet, vel quia

quia eam vendidit, sive in suum usum convertit, vel quia absque ullo suo commodo periiit: v.g. alius illum apud iniquum possessorem furatus est, vel casu absque suâ culpâ periiit, tenetur pretium æquivalens reddere, & non tantum illud, in quo factus est ditor, præterea tenetur omnia dama emergentia & lucra cessantia ex injusta detentione vel non solutione solvere; *Ratio est*: quia hæc obligatio provenit non solum ex re alienâ, sed etiam ex injusta actione & læsione: nam propter damnum alteri illatum, ipse simile damnum debet subire, etiamsi ex illo nullum habuerit emolumentum. Ex quibus deducuntur sequentia corollaria.

1. Qui injustè detinet rem alienam, quæ si man-sisset apud Dominum, etiam certò fuisset peritura, est obligatus illum restituere Domino: quia ubique res extet, Domini est, nec debet fur inde commodum reportare, sed est obligatus Domino rem conservare; hinc si imminente urbis devastatione surripiat quis & abscondat rem alterius, quæ ab hostibus esset surripienda, auffert è fauibus feræ ovem alterius, tenetur ea reddere.

2. Qui auffert vel detinet rem alterius, quæ apud Dominum esset certò peritura per furtum alterius tenetur eam restituere, si apud ipsum extet, vel si apud ipsum pereat, pretium illius: quia per hoc, quod furto suo alterius furtum præveniat non definit esse fur, sed onus, quod alter suscepturnus erat, infuscipit.

3. Qui detinet apud se rem alienam, quæ apud detentorem casu perit, tenetur pretium Domino restituere, licet illa etiam certò fuisset peritura apud Dominum, dummodo non pereat apud detentorem eodem modo, casu & tempore, quo peritura erat apud Dominum: ut si rem per incendium peri-

2. 2. *Theol. Schol. Pars posterior.* K tutam

turam liberavit & in tempestate vel alio incendio amisit, tenetur premium restituere : quia illam rem contrâ Domini voluntatem reservat, ideoque nec excusat, quod apud ipsum pereat alio casu : sibi enim imputare debet hunc casum, eò quod rem alienam, non ut Domino servaret, sed ut sibi injustè acquireret, rapuerit, unde cum onere dicto eam accepit.

4. Si res eodem tempore & periculo apud furem pereat, qui rapuit illam putans conservari, quo tempore & periculo etiam periisset apud Dominum, juxta sententiam valdè probabilem non tenetur ad restitutionem: ut navigabat quis cum Petro, & ab eo rem pretiosam abstulit, quæ in eadem navigatione naufragio periit; furatus est equum morbo occulto & incurabili laborantem, qui ex eodem morbo apud furem periit; furatus est tempore incendii vestimentorum, quæ in loco est reposita, in quo ex eodem incendio serpente consumitur; *Ratio est*: quia tunc per injustam suam actionem non est absoluta causa, quod res pereat, sed quod apud se pereat, quæ eodem modo apud Dominum erat peritura; unde non est paritas inter hunc & præcedentem casum: quia in præcedenti casu est causa, quod res hoc modo apud se pereat, si dubitat, an eodem modo peritura esset apud Dominum, tenetur rem vel premium saltem pro ratâ dubii Domino restituere.

5. Qui rem alienam accepit malâ fide, quæ cum tempore crescens melior erat futura, sed antequam melior fieret ab iniquo possessore est distracta vel consumpta; si Dominus in priori statu rem erat consumpturus, & non servaturus ad aliud statum, in quo melior futura erat, detentor tenetur solum restituere valorem, quem habuit in illo statu, in quo est consumpta. *Ratio est*: quia tenetur solum

ad

ad servandum Dominum indemnem, sed ex suppositione, quod Dominus rem esset venditus vel consumpturus in illo statu, nec exspectatus meliorum statum, passus est detrimentum in valore illius statutis; si autem Dominus servaturus fuisset rem usque ad meliorem statum, restitutio facienda est pro ratâ spei, quâ sperabatur res habitura incrementum, si servata fuisset.

6. Si res crescens sit ablata cum vilior erat, quæ apud furum crescit, & cum tali incremento extat, tenetur in justus detentor rem cum omni illo incremento reddere, etiam si Dominus usque ad tempus illud rem non fuisset servaturus v.g. aliquis furatus est triticum, cum valeret 10. florenis, quod apud ipsum extans valet 20. florenis, tenetur Domino restituere vel triticum vel 20. florenos; quia res dum extat, manet semper sub dominio prioris Domini cum suo incremento, unde si sit in morâ restitutio & casu apud ipsum pereat, secundum illud incrementum tenetur restituere pretium.

7. Si fur rem in statu viliori accepit, quæ ab ipso melior est facta, & posteâ ad deteriorem pervenit statum, si Dominus erat servaturus rem usque ad tempus incrementi & curâ eam venditus, aut consumpturus, vel si res illa decreverit tale detrimentum apud Dominum non suscepturna, tenetur ad omnem valorem illius incrementi. *Ratio est:* quia in justus detentor tenetur restituere damage emergentia & lucra cessantia; si vero Dominus servaturus fuisset rem usque ad tempus, quo lucraturus esset per eam & per alterius in justam actionem impeditur ab illo, tenetur ille ad lucrum illud cessans, similiter si res apud furum detinoretur tale detrimentum non passura apud Dominum, iam datur damnum emergens, quod tenetur relaxare, licet inde nullum commodum percipiat,

8. Si rem acceptam in statu viliori & apud furem auctam in pretio tempore incrementi vendidit, vel consumpsit, tenetur restituere maiorem valorem, quem apud ipsum habuit, sive illud incrementum ab extrinseco sive ab intrinseco ortum habeat, etiam si Dominus rem illam venditus vel consumpturus fuisset tempore vilioris pretii. *Ratio est:* quia status optimus adhæret rei, ideoque sicut res est Domini, ita etiam cum illo optimo statu; ergo per alterius iniquam assumptionem non est privandus suo jure, ac proinde si fur eam absumpsit, pretium ejus secundum estimationem optimi status Domino reddere debet: quia pretium rei est æquivalenter ipsa res, sicut ergo pro illo statu deberet rem Domino reddere, ita etiam pretium rei, si illam absumpsit.

Q. 2. Quid debeat restituere possessor dubiæ fidei?

9. Dubium vel est possessione antiquius, vel possessione posterius sive possessioni bonâ fide cœptæ superveniens. In priore casu is, qui possessionem suscepit rei, de quâ dubitabat, an esset aliena, animo sibi retinendi, peccavit graviter, & est obligatus adhibere diligentiam ad inquirendum Dominum, quam si non adhibeat, est possessor malæ fidei, si adhibitâ diligentia tamen Dominum non inveniat, debet vel cum illo, de quo dubitat, vel cum pauperibus rem dividere pro ratâ dubii; *Ratio est:* quia huic non favet sua possessio: cum ab initio dubitans rem acceperit, & sic cum mala fide, ideoque non potest totam sibi reservare, sed si dato pretio eam recepit, potest cum altero, de quo dubitat, modo dicto illam dividere; si verò non esset dubium, posset totam rem retinere: quia est possessor bona fidei; *Dixi:* cum animo retinendi; quia qui rem

du-

dubiam acquirit, non animo retinendi, sed inquirendi Dominum, non peccat, sed rectè gerit negotium Domini, nec tenetur de casu fortuito, sed se habet ut depositarius in commodum Domini, unde nisi per culpam latam res pereat apud ipsum, non tenetur ad ullam restitutionem. In posteriore casu is, cui bonâ fide possidenti supervenit dubium: an res sit aliena: si adhibitâ diligentia inquirendo Domino maneat dubium, potest rem totam retinere per R. 65. J. in 6. *In pari... causa melior est conditio possidentis;* adeoque potest eam rem vendere, ita tamen ut dubium illud emptori aperiat, ne postea comparente Domino, emptor damnificetur, dummodo, quamdiu est moralis spes inveniendi Dominum, inquirat Dominum, alias fit possessor mala fidei; quod si adhibitâ diligentia Dominum non inveniat & hoc principium ignoret, quod in dubio melior sit conditio possidentis probabiliter sustineri potest, quod fructus suos faciat, videantur in similicida de præscriptione Disput. XX.

Q. 3. Qualiter teneatur restituere possessor bona tua?

R. Possessor bona fidei, qualis verosimilius etiam manet is, qui venialiter peccavit in diligentia inquirendi Dominum, quamprimum noverit rem esse alienam, nisi illam præscripisset, tenetur eandem Domino restituere, potest tamen expensas in conservatione rei factas deducere, re bona fide consumpta, nihil tenetur restituere, nisi ex consumptione factus fuisset locupletior, tunc enim illud, inquantum factus est ditior, tenetur Domino comparenti restituere: cum illud censeatur rei successisse, & proinde Domino sit debitum.

Q. 4. Quod si quis emerit rem à fure bona fide,

poteſtne cognoscens rem eſſe furtivam contractu
reſcilio eandem furi reſtituere?

R. In hâc diſſicultate ob urgenteſ utriuque
rationes nil certiſtati potest; ſententia affirmando
quod talis emptor, poſtquam intellexit rem eſſe
alienam, poſſit contracuum cum fure reſcindere &
rem furi reſtituere, ut preium, quod alia viā recu-
perari non potest, recuperet, hiſ nititur fundamen-
tis.

1. Emptor ille nullam injuriam Domino facit
rem illam bonâ fide emendo & penes ſe retinendo,
ergo ſine injuria Domini poterit eam furi reddere
ut datum preium recuperet, & itâ reddendo cen-
ſetur alterius dāmnum ex cauſa iuſta tantum per-
mittere.

2. In caſu paris iuocentie potest primò emptor
ſibi conſulere, deinde Domino, & ſicut Dominus
habet iuſ ad ſuam rem, itâ emptor haber iuſ ad
ſuum preium.

3. Contractus ille emptionis ab initio fuit inva-
lidus cum injuria emptoris, ergo poterit emptor le ab
injuria vindicare contractum reſcindendo, & quan-
quam illa emptio facta fuit etiam cum iuoriā Domi-
ni, id tamen factum eſt ſine culpa emptoris bona
fide ementis, & conſequenter poterit ille primò a-
gere, ut liberetur ab injuria.

4. Nemo debet rem alterius curare cum dāmno
proprio, niſi ad id ex officio vel contractu teneatur,
quod hic fieret, ſi non poſſet emptor contractum
reſcindere tanquam cum illo initum, qui contrahere
non poſſit.

Econtraria ſententia negans non minus urgentebus
rationibus ſtabilitur:

1. Quandocunque noſcitur res eſſe aliena, Domi-
no eſt reſtituenda, unde cunque res illa habeatur; &
hinc

hinc si Dominus apud Judicem instaret, ille condemnaret emptorem, ut rem emptam non furi sed Domino restitueret. Neque tenetur Dominus resciens rem suam existere apud emptorem consentire, ut emptor eandem furi restituat sed justè repetit, ergo emptor injustè negat, licet ex restitutione patiatur damnum, quod non à Domino rei sed à fure patitur, atque omnino per accidens respectu Domini se habet.

2. Ut propriæ indemnitati consulat, non potest aliquis rem alienam invito Domino accipere aut detinere, ergo nec in tali statu ponere, in quo nunquam ad dominum redibit, cum jam per emptiōnem à fure ex illo statu erepta sit. Unde restituendo furi nunquam restituturo verè damnificat Dominum, cui licet non sit obligatus ex injustâ acceptiōne, nihilominus est obligatus ex re accepta.

3. Si fur esset absens aut mortuus deberet illam rem comparenti Domino restituere; ergo etiam quando fur est præsens: præsentia enim vel absētia indifferenter se habet ad obligationem restitutiōnis, quæ oritur ex re aliena ubique existat.

Dixi: bona fide emens, qui enim mala fide à fure rem furtivam emit, certò non potest illam furti reddere; quia tunc non tantum tenetur ad restituitionem ex re accepta, sed etiam ex injusta actione; rem enim sibi appropriandam à fure emere est virtualiter furari, atque ita talis iniquus emptor in se transfert obligationem restitutiōnis, quam fur habebat, quam retinet sive casu pereat, sive eam consummat sive alteri tradat.

Q. 5. Quid de eo, qui emit rem furtivam, ut Dominoreddat?

¶. Qui bona fide rem alienam emit, ut comparenti Domino eandem restituat, comparenti Domino deberet rem restituere erga pretium pro illa furi

datum, dummodo illud sit minus, quam res valeat, *Ratio est*: quia prudenter egit negotium Domini rem ablatam etripiendo ex manibus furis, nemo autem debet utilitati alterius servire cum detrimento.

Q. 6. An premium pro re furtiva bona fide empta & rursus vendita sit obnoxium restitutio*n*i?

R. 1. Qui bona fide rem furtivam emit & poste*ā* iterum bona fide vendidit debet admittere rescissio*n*em contractus ab eo, cui vendidit, si Dominus compareat; *Ratio est*: quia contractus ille venditionis fuit nullus, quantum ad effectum traditionis fact*æ* de realiena & consequenter quantum ad numerationem pretii, quæ fuit conditionata, si & in quantum venditor transferret dominium rei venditæ, venditor vero non transfert rei dominium in emptorem illius, quod ipse non habet, hinc venditor debet servare emptorem indemnum, & si eut qui pecuniam adulterinam tradidit alteri, quam bona fide accepit ab alio, debet substituere bonam, nec satis est, quod eum ad priorem remittat, ita quoque non poterit venditor ille remittere emptorem ad furem ad recuperandum premium.

2. Venditor postquam rem furtivam bona fide vendidit agnoscens esse furtivam non comparente illo, cui vendidit, non tenetur premium rei alienæ venditæ Domino rei venditæ reddere. Ex his rationibus: 1. quia non tenetur ratione rei acceptæ, quam non habet; neque ratione injustæ acceptio*n*is: cum bona fide rem emerit & vendiderit; neque ratione damni illati: cum nullum damnum Domino intulerit emendo vel vendendo. 2. In omnium sententia, si venditor ille durante bona fide rem illam alteri donasset vel consump*s*isset, ex quo non est factus ditior, non deberet

eam

eam restituere; ergo etiam non tenetur, si eam durante bonâ fide vendat. Et licet accipiat pretium, illud tamen potius succedit pretio prius ab ipso dato, quam ipsi rei.

Dices: venditor ille non potest pretium facere suum: cum venditio fuerit nulla. Ergo tenetur restituere.

R³. Distinguendo conseq. Ergo tenebitur ratione rei acceptæ emptori Con. cum illud pretium adhuc supponatur esse Emptoris. Domino N. Emptore igitur non comparente pretium illud potius succedit in locum pretii à venditore anteà dati, & consequenter Domino rei venditæ nihil dare obligatur ratione rei acceptæ, nisi ex secunda venditione venditor fuisset factus diior: tunc enim excessum pretii tenetur dare Domino rei acceptæ in æquivalenti jam existentis, nisi forsan excessus ille in pretio provenisset magis ex industria venditoris, quam ex re accepta.

3. Si fur pecuniis furtivis merces emerit, & venditor mercium pecunias illas adhuc separatas habeat, tenetur illas Domino reddere; si vero pecunias miscuerit suis, non tenetur: cura per illam mixtionem pecuniæ illæ transferint cum aliis in dominium venditoris juxta L. si alieni nummi 76. ft. de solut. lib. 46. tit. 3. L. idem Pomponius §. ff. de rei vind. lib. 6. tit. 1. Unde non tenetur ad restitutionem ex re accepta: cum sit sua; nec ratione injustæ acceptionis: quia bona fide eas accepit, nec factus est diior: quia tantum dedit, quantum accepit.

Q. 7. Quos fructus restituere tenetur tum bona tum malæ fidei possessor?

Antequam respondeatur nota: fructus rei sunt triplicis generis 1. *Naturales*, quos natura sponte sine ulla vel cum modica hominis industria producit: ut poma, glandes, plumæ, fructus animalium, quæ

absque industria aut cura hominum nutriuntur.

2. *Industriales*, qui industria hominum comparantur, etiamsi homines re ipsâ utantur ut instrumento: ut artefactum alieno instrumento elaboratum, lucrum ex asportatione frumenti aut pecuniae acquisitum.

3. *Mixti*, in quibus partim industria humana partim natura concurrit: ut fructus vinearum, agrorum, qui coluntur &c. Lac, foetus, lana, quae ex gregibus habentur juncto hominum labore in illis pascendis & sustentandis. Addunt aliisque fructus *civiles*: eò quod à jure civili sunt introducti, tales sunt pensiones domuum, vecturæ navium, operæ servorum, quos tamen alii ad fructus naturales reducunt. Hoc notato.

R. 1. Possessor bonæ fidei jure communi tenetur restituere omnes fructus naturales extantes deductis expensis & aestimatione industriae. *Ratio est*: quod omnis res fructifera Domino fructificat, unde sicut res debet Domino reddi, ita & fructus, quod verum est, licet res apud Dominum non fructificasset: quia si res fructificet, Domino fructificat, hinc si equum alterius aliquis elocaverit, licet Dominus eum non elocasset, tenetur reddere equum & pretium elocationis. In hoc tamen à pluribus hæc sit distinctio: si possessor bonæ fidei habeat rem titulo oneroso v.g. venditionis, tunc lucratur omnes fructus sive naturales sive mixtos. Rationem dant: quia non sunt ei negandi fructus ex recepta percepti, quandoquidem potuisset eodem pretio vel fructuosam rem non furtivam emere vel alio modo ex pretio suo lucrari, & ideo leges contrariae concordantur: si L. bonæ fidei 48. ff. de acq. rer. dom. lib. 41. tit. I. quæ omnes fructus possessori adscribit, intelligatur de possessore titulo oneroso, Leges vero fructus naturales & mixtos possessori bonæ fidei negantes intelligantur de possessore ex titulo lucrative. alii vero probabiliter

omnes fructus etiam naturales & mixtos tribuunt bonæ fidei possessori, si possideat ex quocunque legitimo à legibus non reprobato titulo, non verò si possideat ex titulo legibus reprobato ut L. fructus 45. ff. de usur lib. 22. tit. 1. & §. si quis à non Domino instit. de R.D. lib. 2. tit. 1.

2. Si fructus rei naturales non amplius extent, sed bonâ fide sint consumpti, non tenetur eosdem restituere possessor bonæ fidei, nisi in quantum ex iis factus est ditionis, id est: quando occasione rei consumptæ patrimonium suum est auctum, licet juxta dicta aliqui possessorum bona fidei excusent.

3. Possessor bonæ fidei non tenetur restituere fructus industriales, *Ratio est*: quia fructus industriae non sunt fructus rei, sed illius, qui industriam adhibuit, unde qui pecuniis alienis est negotiatus, qui asportatione alieni tritici lucrum fecit, totum ipsius est. Imò nec possessor malæ fidei tenetur restituere fructus industriales: quia non rei sed industriae fructus sunt.

Obj. Äquitati repugnat ex alieno me ditionem fieri, & ex delicto proprio sentire commodum; atqui sic ex re alienâ fierem ditionis, & ex delicto proprio sentire commodum. Ergo.

4. Distinguendo maj. repugnat äquitati ex re alienâ ditionem fieri proximè & formaliter Con. remotè & materialiter solum N. pecunia aliena, cum quâ negotior, non concurrit formaliter & proximè ad lucrum, sed remotè tantum & materialiter: proximè enim lucrum provenit ex meâ industriâ, à quâ res aliena assuinitur per modum instrumenti; sic etiam non directè & proximè ex delicto proprio reporto commodum sed indirectè tantum & remotè: proximè enim ex negotiatione lucrum capio, quæ de se est honesta, licet præsupponat actum inhonestum.

4. Possessor malæ fidei tenetur restituere omnes fructus

fructus rei naturales & mixtos , deductis expensis , sive extent , sive non , sive factus fuerit ditior sive non , sive res ad alios transiverit , sive non . *Ratio est :* quia omnes illi fructus pertinent ad Dominum rei , quibus privatur per iniquam acceptationem ; ergo iniquus acceptor debet hæc omnia reparare . *Dixi :* deductis expensis : nempe iis , quæ erant necessariæ , quia sine illis non poterat res conservari in suo statu , vel utiles , quia illis res est facta pulchrior & utilior , has tenetur Dominus in conscientiâ remittere ; quia æquitati non est consonum , Dominum ob restitutionem lucrum reportare ; si autem nolit expensas reddere , potest res in pignus detineri , nisi expensæ factæ excederent pretium rei : tunc enim non tenetur Dominus omnes solvere : cum hoc non cedat in utilitatem ejus , nec ex ejus consensu factum sit ; si autem fuerint expensæ voluptuariæ , videlicet , quæ nec ad conservationem rei nec ad utilitatem pertinent , sed solum serviunt ad voluptatem , recreationem &c. si inquam hæ à re sine ejus lœfione separati nequeant , cum communiter reddant rem morali judicio meliorem , videtur æquitati esse conformius , posse possessorem ad arbitrium prudenter detrahere aliquid pro ejusmodi expensis : cum eo casu censeantur tales expensæ participare de utilibus .

QUÆSTIO IV.

De Causis excusantibus.

Variæ adducuntur causæ tum totaliter extinguentes obligationem restituendi , tum justè differendi restitutionem , quarum aliquæ magis , aliquæ minus certæ sunt videlicet : impotentia aut necessitas debitoris aut ejus vel alterius detrimentum ex restitutione proveniens , cessio bonorum , ingressus religionis , remissio creditoris , rei debitæ interitus , solutio facta creditori creditoris

Ju

Juris vel judicis Authoritas, dispensatio vel compo-
silio vel competatio &c. De quibus.

DICO 1. Quando aliquis non potest statim resti-
tuere, ipsa impotentia absolvit eum ab instanti resti-
tutione facienda: sicut etiam totaliter à restitutione
absolvitur, si omnino sit impotens. S. Th. hic Q. 62.
a. 8. ad 2.

Explicatur & probatur Conclusio: Impotentia alia
est physica, quando simpliciter & absolutè defunt
media ad restituendum; alia moralis & secundum quid,
quando nimis solutio vel restitutio redditur valde
difficilis; quod prior potentia excusat, est manife-
stum per R. J. 6. in 6. *Nemo potest ad impossibile obli-
gari*, potentia vero moralis vel omnino extinguit
obligationem restituendi si sit extremæ necessitatis,
quam patitur debitor ipse vel personæ conjunctæ ut pa-
rentes, liberi, conjux. Veleandem suspendit, si sit gra-
vis, nec creditor sit in simili gravi necessitate.

Antecedentis Prima Pars probatur: Necesitas, quæ
facit, ut licet accipiat quis rem alienam, illa etiam sufficit,
ut licet retineat vel consumat rem alienam: quippe sub-
lato Jure positivo & gentium omnia reducit in statum
primæ libertatis, facitque omnia communia & primò
occupantis; ergo eadem necesitas facit ut licet rem
alienam retineat vel consumat cum hâc distinctione, ut
ille, qui tenetur ad restitutionem titulo rei acceptæ,
si rem illam, quam apud se habebat in extremâ necessi-
tate, consumpsit, totaliter absolvatur ab onere restitu-
tionis: siquidem rem illam non ut alienam sed ut suam
consumpsit. *Quod si verò cessante extremâ necessitate
res alterius adhuc extet, reviviscit obligatio restituendi:* quia extrema necesitas solum tribuebat Jus ad
usum v. g. equi non ad ipsum equum. Si denique
obligatio restituendi sit ex injustâ acceptance, vel ex

con-

contractu bonâ fide inito , non extinguitur , sed su-
spenditur obligatio per extremam necessitatem : obl-
gatio quippe personalis non nisi cum personâ extingui-
tur. Dubitatur autem : an , si creditor etiam sit in ex-
tremâ necessitate , obligetur debitor in extremâ necel-
sitate existens adhuc restituere ? in quo sententia nega-
tiva probabilior est quod non teneatur statim restituere
sed possit , licet sit debitor ex delicto , in casu extremæ
necessitatis differre solutionem , & primò sibi suisque
succurrere , quam creditori : nam & ordo charitatis
requirit ut debitor primo sibi & proximis conjunctis,
quam personæ extraneæ creditoris subveniat , & aliun-
de extrema necessitas facit , ut bona transeant in domi-
nium primò occupantis ; cum ergo debitor apud se
habeat bona creditoris , gaudebit Jure primò occu-
pantis.

Dices : aliquis existens in extremâ necessitate non
potest alteri in simili necessitate constituto rem , quam
habet , auferre ; ergo neque retinere.

R. N. consequentiam , disparitas est : quia si quis
auferat sua bona Domino in extremâ necessitate con-
stituto , auferret illa ab habente illorum possessionem
& occupationem , quâ potior est omni alio occupante ;
si autem retineat in simili necessitate , ipse prior occu-
pat , adeoque est præferendus , nec est hic adæquata
identitas inter rei detentionem & primam vel novam
ablationem.

Secunda Pars primi antecedentis explicatur &
probatur : In gravi necessitate debitoris potest differri re-
stitutione , quando damnum debitoris notabiliter majus
est damno creditoris : quia virtus justitiae unicè in-
tendit æqualitatem neque potest creditor rationabilitet
plus exigere , quam ut constituatur æqualitas ; sed dum
debitor per restitutionem majus damnum subit , quam
creditor patiatur per dilationem , tunc non constitui-

tur æqualitas, sed inæqualitas; ergo in illo casu non tenebitur ad restitutionem; *Excipitur*: nisi grave damnum debitoris tantum consideret in carentiâ rei restituendæ, non autem in bonis propriis, quale esset, quando bona sua viliori, quam valerent, pretio deberet vendere: tunc enim non excusabitur à restitutione, etiamsi rei familiaris magnam diminutionem patiatur, quippe cum tantum restituat ex alienis, in quæ nullum ipsi Jus competit, nec ullum ex ipsis damnum in bonis propriis patitur. Quod si par sit necessitas ita, ut creditor & debitor sint in gravi necessitate, est restituendum: quia in pari causâ potior est conditio creditoris, quam debitoris, præsertim si sit debitor ex delicto, tunc enim melior debet esse conditio innocentis, quam nocentis.

Infertur 1. Si debitor statu suo justè acquisito deberet excidere: v. g. si persona illustris ad civilem, si civilis ad plebeiam, ingenua ad servilem conditionem devolveretur, poterit restitutio in commodiorem occasionem differri, vel fieri per partes, nisi creditor ex dilatione solutionis simili periculo exponatur, aut debitor dilatâ solutione absolutam solvendi impotentiam probabiliter incurreret, *Ratio est*: quia tunc creditor non potest esse rationaliter invitus ad differendam solutionem. *Dixi 1.* A statu justè acquisito; si enim debitor per furta, rapinas, usuras, iniquos contractus emersisset, & ad majorem statum se elevasset, aut si propriâ culpâ aut nimio Luxu, Lusu, prodigalitate sese impotentem reddidisset, tenebitur ad restitutionem, etiam cum jactura sui statûs, at citrâ mendicitatem. *Dixi 2.* Si deberet excidere statu; aliud enim est excidere statu, aliud statum minuere: si enim debitor factâ solutione cogeretur deinceps parcius victimare, vilius vestiri, non deobligaretur à restitutione: quia hoc foret solum minuere statum, non autem excidere

cidere statu. *Dixi 3.* Nisi creditor simili periculo exponatur: tunc enim valet regula allata, quod melior sit conditio creditoris. *Dixi 4.* Aut dilatâ solutione absolutam solvendi impotentiam probabiliter incureret: quia tunc creditor meritò erit invitus, ut ulterius differatur, & etiam similes debitores cum subhastatione bonorum coguntur ad solvendum.

Advertendum est circa dicta: Quod si ex causis præmissis fiat dilatio restitutionis, teneatur debitor suo creditori compensare damnum emergens & lucrum cessans ob talem dilationem: quia non sub aliâ condicione creditor in dilationem consentire censetur, & cum debitor sentiat commodum, deberet etiam ferre onus, nec gratia à creditore facta deberet in præjudicium vel damnum creditoris verti.

Dices. Non licet in gravi necessitate accipere alienum juxta propositionem 36. ab Innoc. XI. damnatam: *Permissum est furari non solum in extremâ necessitate, sed etiam in gravi;* ergo nec retinere.

R^e N. consequentiam: quia multò plures sunt cause, propter quas Dominus non potest esse rationabiliter invitus, ut res sibi debita apud alium possessorem aliquamdiu detineatur, quam ut ipse rei suæ dominio & possessione spolietur, & sicut in physicis plura requiruntur ad primam formæ productionem, quam ad ejus conservationem; ità etiam in moralibus major requiritur causa & necessitas accipiendi alienum, quam retinendi acceptum, nec tanta est obligatio medendi vulnerato, quam primitus non vulnerandi.

Infertur 2. Propter moralem impotentiam non sunt restituenda bona inferioris ordinis cum jacturâ bonorum superioris ordinis; ideoque si ex restitutione periclitetur salus propria vel aliena, pudicitia uxoris vel filiarum, fama debitoris vel suorum, obligatio restitutionis suspenditur, quamdiu tale periculum durat,

Ratio

Ratio est: quia tunc creditor non potest esse rationabiliter invitus, quod solutio differatur.

DICO 2. *Si aliquis . . . debeat aliquam pecuniam & non habeat, unde reddat: tenetur facere quod potest, ut scilicet cedat bonis suis creditori.* S. Th. hic Q. 189. a. 6. ad 3.

Probatur: In tantum obligatur debitor ad restitutionem, in quantum moraliter potest, & econtra non obligatur, si moraliter non posse, atqui cedendo bonis in favorem creditorum debitor restituere potest & ultrà supponitur non posse; ergo satisfacit cedendo bonis, si ulterius non posse restituere, non vero excusat in foro conscientiae, si ulterius restituere possit. Ex quibus circa hanc causam excusantem.

Sciendum 1. Cessio bonorum à Jure vocatur remedium fleibile & miserabile: quia debitori alieno aere gravato Jus hoc remedio succurrit, ne à creditoribus in carcerem tædialem, ut vocant, detrudatur; si nimis debitor videns se non esse solvendo palam profiteatur suam impotentiam & creditoribus sua bona cedat, ac dividenda tradat, ut exinde singulis, quantum fieri potest, satisfiat; hæc cessio duplum operatur effectum: imprimis ne debitor, ut dictum est, possit incarcерari, sed se exceptione cessionis à creditorum molestiis defendere queat, dum non est solvendo. Deinde ut cum post cessionem ad meliorem fortunam venerit, non possit propter debita ante cessionem contracta conveniri ultrà id, quod commodè solvere potest. Quod beneficium cessionis dupli generi debitorum negatur: primum genus complectitur illos, qui non indigent hoc flebili beneficio, quia sunt alio meliori beneficio, quod vocant competentiæ, muniti: est autem privilegium competentiæ tale, vi cuius ultrà id, quo ad commodam sustentationem indigent, conveniri debitores non possunt, quali beneficio gau-

Rati. 2.2. *Theol. Schol. Pars posterior.* L dent

dent personæ, quæ sibi mutuò alimenta præstare debent: ut Pater adversus liberos, liberi adversus parentes, maritus adversus uxorem repetentem dotem, ejusve hæredes, Patronus adversus libertum, socius adversus socium, donans re nondum traditâ adversus donarium L. nesennius 41. in fin. ff. de re judic. lib. 42. tit. 1. uxori conventæ adversus maritum ejusque hæredes L. non tantum 20. ff. de re judic. socero contrâ numerum soluto matrimonio repetentem dotem L. rei judicatæ 15. §. 2. ff. sol. matt. lib. 24. tit. 3. eidem socero contrâ generum L. 21. & 22. ff. de re judic. hoc privilegium tamen non transmittitur ad hæredes uxoris aut mariti, nisi essent liberi ex eodem matrimonio. Secundum genus comprehendit debitores, qui hoc beneficio cessionis bonorum reputantur indigni videlicet: imprimis debitores ex delicto: ut furto, rapinâ, usurâ, eosque qui quidem ab initio fuerunt debitores ex contractu, postmodum tamen ob moram culpabilem vel aliud delictum superveniens cœperunt fieri debitores ex delicto. Deinde eos, qui velut ex industria culpabiliter bona sua dilapidando in has angustias sese conicerunt. Præterea illos qui à creditoribus quinquennes inducias ad solvendum obtinuerunt. Denique qui huic privilegio per Juramentum renuntiarunt; sunt igitur capaces cessionis debitores, qui nec meliori beneficio sunt muniti, nec à bonorum cessione sunt exclusi.

2. In foro conscientiæ obligationem restituendi non extinguit beneficium cessionis bonorum, sed debitor non obstante cessione manet obligatus in conscientiâ ad procurandam & præstandam integrum debiti solutionem, cum ad pinguiorem sortem pervenerit; *Ratio est:* quia per cessionem bonorum creditores non privantur Jure suo, cui ex parte debitoris responder naturalis obligatio solvendi debitum.

Nec

Nec obstat: Quod, si cessio bonorum sit publicè facta, ignominia illa videatur substituta loco restitutio-
nis; quia illa ignominia cessionis non est instituta
à legibus ad tollendam obligationem naturalem, sed
partim in pœnam ob præsumptam culpam debitoris in
contrahendis debitibus suprà suas vires; partim in
terrorem aliorum, ne in contrahendis debitibus sint
nimium incurii.

3. Debitor in cessione bonorum excusatur tantum
occultando & sibi reservando, quanto indiget
ad vitam parcè sustentandam: cum ejusmodi gra-
vis necessitas, qualis est periculum mendicitatis, excu-
set à restitutione statim faciendâ juxtâ dicta, attamen
in tali casu debitor sibi necessaria cum alimentis reser-
vans non potest in conscientiâ uti privilegiis cessioni
bonorum à Jure concessis; siquidem cessio bonorum in
Jure cum favoribus tunc datur, quando omnia bona
præsentia ceduntur in satisfactionem creditorum, sed
qui sibi aliqua reservat, non omnia cedit; unde ex
bonis post cessionem acquisitis minus sibi retinere po-
terit, & plus in restitutionem expendere tenebitur.

4. Cessio bonorum excusat in foro ~~externo~~ à resti-
tutione, non autem in foro conscientiæ, nisi is, qui
bonis cedit, verè impotens sit, *Ratio est:* quia ejus-
modi cessio ideò debitori suffragatur in foro externo,
quia leges civiles sub tit. 3. ff. lib. 42. & tit. 71. Cod.
lib. 7. approbantes cessionem bonorum procedunt pro
foro externo, supponuntque legum conditores mife-
rum hominem non esse solvendo, & si sit solvendo,
nunquam intendit magistratus admittens cessiones tol-
lere Jus creditorum; ergo in foro conscientiæ obligatus
manet, quatenus manet potens solvere, ideoque gra-
visimè peccant, qui cessuri bonis prius pretiosiora ab-
scondunt. *Dico:* pretiosiora: quia necessaria ad
parcam familiæ sustentationem alimenta, vesteres, artis

instrumenta abscondere possunt, nec judex cessionis compellet ad talia creditoribus tradenda.

5. Cedens bonis, si sit impotens, excusatur à restituendo reliquo, non simpliciter, sed secundum quid, & quatenus sua impotentia inculpabiliter se extendit, ideo redeunte meliore fortunâ obligatus manet reliquum restituere; quin etiam in conscientiâ obligatur ad laborandum & acquirendum, ut integrè solvat, *Ratio est*: quia tota ratio privilegii cessionis honorum ducta est ab impotentia debitoris; ergo cessante impotentia cessat ejus effectus; atqui cessat impotentia, si redeat melior fortuna, aut si debitor juxta statum suum laborando acquirere possit, unde solvat; ergo cum obligetur ad finem obligatur etiam ad media saltem ordinaria ad finem illum necessaria.

DICO 3. Propter pecuniam persona liberi hominis secundum jura civilia non obligatur, sed solum res... unde licet potest exhibitis rebus suis religionem intrare, nec tenetur in saeculo remanere, ut procuret, unde debitum reddat. S. Th. loc. cit.

Probatur 1. Qui facit in ordine ad restituendum, quantum potest & debet, satisfacit; atqui qui bona sua relinquit creditoribus & deinde ingreditur religionem, quam alias ad restitutionem faciendam deberet vel perpetuò vel ad longum tempus non ingredi, facit, quantum potest & debet; potest enim bona temporalia relinquere creditoribus; non verò debet ulterius: cum tantum incumbat ipsi restitutio temporalium.

Probatur 2. Nemo tenetur præstare satisfactionem cum magnâ difficultate & detimento in bonis superioris ordinis: cum hæc sit moralis impotentia; atqui si debitor vel semper vel diuturno tempore manendo in saeculo possit satisfacere, satisfactio præstaretur cum magnâ difficultate & detimento in bonis superioris ordinis videlicet perfectionis religiosæ ac incommode

in libertate eligendi statum religiosum & in eo profectum spiritualem querendi; ergo si non aliter sit solvendo, quam vel semper vel longo tempore manendo in s^{ec}culo, potest debitor religionem, licet sint debita certorum creditorum etiam ex delicto vel titulo oneroso contracta, spectato Jure naturae ingredi ac profiteri.

Dixi 1. Semper vel longo tempore: quia absolutè & secundum se si debitor sit solvendo, non est ei permisum r^eligionem ingredi, nisi solutis debitis aut præstitâ sufficienti cautione de eisdem solvendis, *Ratio est*: quia obligatio justitiæ prævalet operibus consilii; sed ingressus in religionem est opus consilii, solutio verò debitorum est opus debitum ex obligatione justitiæ; ergo absolutè præponi deberet, professio tamen stando in Jure naturae erit valida: quia persona debitoris licet sit obligata ad satisfaciendum creditoribus, ipsa tamen non est iis debita; ergo illius traditio Deo facta per professionem solemnem est valida.

Dixi 2. Longo tempore: quia si debitor quidem non sit solvendo, habeat tamen intrà breve tempus spem solvendi, obligatur ad differendum ingressum religionis, nisi forte extraordinarium & grave periculum damni spiritualis: v. g. incidendi in grave peccatum, immineat; breve autem tempus estimatur biennium vel triennium ad summum.

Dixi 3. Certorum creditorum: quia si debita sint incertorum creditorum ex delicto, quæ ex Canonum instituto essent restituenda pauperibus, vel Ecclesiæ, liberum est debitori ingredi religionem, *Ratio est*: aut enim est solvendo debita incerta, & satisfacit sua bona deferendo ad monasterium, vel distribuendo inter pauperes; aut non est solvendo & plus facit seipsum quam sua bona tradendo religioni.

Dixi 4. Titulo oneroso: quia si debita sint contracta ex liberali promissione v. g. donandi tantum pecuniae, hoc vel illud obsequium praestandi &c. potest debitor nullâ interpositâ morâ ad satisfaciendum licet ingredi religionem; *Ratio est:* quia liberali promissione semper hæc tacita conditio subintelligitur: nisi ad melioris vitæ statum transierim, quemadmodum in simili dicitur de promissione matrimonii in sponsalibus. Ex quibus omnibus à potiori sequitur: quod si nulla sit spes, quod debitor in sæculo manendo aliquando futurus sit solvendo, possit liberè & licet debitor religionem ingredi: quia tunc imprimis impotentia solvendi absolvit ab onere solutionis; deinde ex aliâ causâ non est impeditus ab ingressu religionis: si enim impediretur, id fieret ratione creditorum, qui tamen in casu tantæ impotentiae nihil à debitore sperare, aut prætendere, nec proinde libertatem in eligendo vitæ statu impedire possunt.

Dixi 5. Spectato Jure naturæ: quia ex constitutione Sixti V. quæ incipit: cum de omnibus; estque Tom. 2. Bullarii 71. ejusdem Pontificis, irrita est professio gravatorum ære alieno, simulque §. 6. hæc statuitur pœna: *Et insuper quoscunque religiosos eorumque superiores, qui alias personas, ut dictum est, inhabiles post hanc constitutionem publicatam receperint, voce activa & passivâ, nec non officiis, gradibus, honoribus, & dignitatibus quibuscunque per eos obtentis, eo ipso in perpetuum privamus, & tam illis privatos, quam ad illa quacunque in posterum obtainenda perpetuò inhabiles, eorumque incapaces decernimus & declaramus.* Quibus pœnis relictis, quoad nullitatem professionis hanc constitutionem moderavit & ad terminos Juris communis revocavit Clemens VIII. per aliam constitutionem 83. Tom. 3. Bullarii quæ incipit: in suprema; ex quâ validè quidem sed illicite recipiuntur

tur ad religionem, qui supra vires sunt ære alieno prægravati, vel ita reddendis rationibus obnoxii, ut ob id lites & molestiæ timeantur, vel qui de alienis fortunæ bonjs usurpando suâ culpâ ingentibus debitibus ita sunt gravati, ut creditoribus in præsenti satisfacere non possint, possunt tamen manendo in sæculo.

Obj. 1. Propter opus consilii non est omittendum opus Jure divino & naturali præceptum; sed ingredi religionem est opus consilii, solvere debita est opus Jure divino & naturali præceptum; ergo per ingressum religionis non licebit debitori se impotentem reddere ad solutionem debitorum.

Rg. Distinguendo mihi solvere debita est opus præceptum, si debitor sit moraliter potens Con. si sit moraliter impotens N. dum autem non potest satisfacere, nisi diu maneat in sæculo, est moraliter impotens propter notabile damnum in bono superiore.

Obj. 2. Filius non potest ingredi religionem, quando manens in sæculo potest subvenire parentibus indigentibus: quia hæc obligatio est Juris naturalis; ergo ex eadem causâ debitor non licet ingreditur religionem.

Rg. N. consequentiam disparitas est: quod longè arctius sit debitum pietatis, quam justitiae: quia debitum pietatis ex ipsâ naturali origine ortum habet, ex quo Filius tenetur subvenire parentibus etiam cum suo detimento, hinc quando parens est in æquali necessitate constitutus, etiam tenetur non solvere, quamvis debita ex delicto sint contracta, si aliter parentibus valde gravi necessitate laborantibus non possit succurrere.

Obj. 3. Non sunt facienda mala ut eveniant bona, nec propter lucrum spirituale licet inferre damnum temporale; ergo propter obtainendum bonum religionis non licet creditorem lacerare in bonis debitibus.

R. Distinguendo autem non licet inferre damnum positivè & directè aliquid afferendo Con. indirectè & negativè aliquid non restituendo N. si videlicet instanter longè gravius damnum, quale est, esse privatum libertate eligendi meliorem statum, quam habent alii homines, sese Deo dicandi in statu perfectionis, sequente expediendi ab innumeris laqueis huius saeculi.

Obj. 4. Qui virginem defloravit sub spe matrimonii, non potest absque illius licentiâ ingredi religionem: quia ingressus cederet in injariam defloratae, ergo nec debitor: quia illius ingressus cederet in detrimentum creditoris.

R. Negando conseq. disparitas est. **I.** Quod promissio matrimonii facta ab eo, qui extortus promittendo copulam, expressè obligaverit extorquentem ad servandam fidem cum postpositione statûs perfectioris, sub quâ conditione præcisè deflorata consensit, alias nunquam consensura.

2. Quod, si possit, debeat fieri restitutio in eodem genere bonorum, in quo facto est læsio; deflorans autem læsit defloratam in libertate eligendi commodum matrimonium; consequenter cum amissione libertatis deberet restituere. Aliud est de debitore solorum bonorum temporalium.

Porro si talis licite vel illicite profiteatur, non excusat, nisi ob solam impotentiam, unde si possit cum licentiâ sui prælati absque indecentiâ & magnâ difficultate labore lucrari, unde satisfaciat, tenebitur; **Cato est:** quia ingressus in religionem non aliter excusat, nisi in quantum inducit impotentiam satisfaciendi; sed hic nullam inducere potest, neque præcedens cessio bonorum liberat; ergo religiosus hoc casu manet obligatus ad operas juxta status & personæ conditionem. Non tenetur tamen superior ignoranter ad professionem recipiens dare licentiam, quia nullam

hic

hic contraxit obligationem erga creditorem, & ex traditione religiosi per professionem habet Jus fortius subditum gubernandi, eique occupationes imponendi, sive impedianc solutionem debitorum, quae creditor Jure exigere potest, sive non.

Q. 1. Qualiter a restitutione excusat remissio creditoris?

R. Excusat a restitutione remissio creditoris sive sit expressa sive tacita: est tacita, si instrumentum debiti creditor laceraverit, aut ante solutionem ultrò reddiderit debitori; censetur enim id fecisse animo condonandi, nisi ex indiciis constet, id per errorem vel aliam causam factum fuisse. *Ratio est:* si enim dilatio a creditore concessa excusat, ne statim restituere obligetur debitor, excusabit remissio, ut omnino non obligetur restituere. Ad hanc tamen remissionem requiruntur sequentes conditiones, *1ma:* Ut remissio sit libera, non vi vel metu extorta. *2da:* Ut habeat creditor potestatem remittendi; cuius defectu, non potest Filius familias remittere Paterna debita, Ecclesiæ gravatae non possunt Episcopo visitatori remittere restitutionem, si praeter sumptus ad victum necessarios aliquid accipiat per cap. exigit 2 de censibus in 6. lib. 3. tit. 20. nec judici delegato potest remitti a partibus restitutio, quando accepit aliquid a partibus per cap. statutum §. si quid 7. de rescript. in 6. lib. 1. tit. 3. Item Canonico accipienti distributiones, pro horis quibus non interfuit, non prodest remissio cæterorum, quibus illæ accrevissent Trid. sess. 24. de reformat. cap. 12.

Q. 2. Qualiter excusat a restitutione interitus rei debitæ?

R. Interitus rei excusat a restitutione, si obligatio restitutionis sit ex re accepta, & res sit debita in individuo. Verum difficultas est: an si debitor misit rem

injustè acceptam per nuntium aut confessarium v. g. restituendam , ne notam incurrat , & res sic missa absque culpâ debitoris antequam restituatur , pereat , an excusetur à restitutione ? Responsio negans est probabilius fundata in sequentibus rationibus : 1. Quia debitor ex delicto tenetur ad resarcendum omne damnum etiam fortuitum quod sequitur ex injustâ acceptance; sed damnum rei pereuntis apud nuntium v. g. sequitur ex injustâ acceptance: nisi enim ille accepisset rem , non periisset ; ergo tenetur ad restitutionem. 2. Quia res perit suo Domino , sed pecunia v. g. tradita confessario ad restitutionem adhuc est quasi sub dominio debitoris ; cum possit illam pro libitu repetere exspectatâ aliâ opportunitate restituendi ; ergo debitori non creditorî perit.

Nec refert 1. Quod debitor ex suâ parte fecerit quod potuit ; quia licet satisfecerit ad non peccandum denuo , non tamen ad extinguendum debitum , ad quod requiritur , ut creditor cum effectu servetur indennis.

Neque obstat 2. Quod creditor fuisse consensurus , ut res tali modo sibi restitueretur ; fuisse enim consensurus sed absque præjudicio sui Juris , quod habet ad repetendam rem suam , quandocunque ad ipsum non pervenerit. *Dixi* : Injustè acceptam: quia si ex contra v. g. commodati habuerit rem , eamque per nuntium , qui communiter habebatur fidelis & securè rem translatus , remittat , quæ deinde non pervenit ad Dominum ob infidelitatem nuntii , cessat obligatio: quia res periiit sine culpâ commodatarii.

Q. 3. Qualiter solutio tertio facta excuset ?

R. Excusat à restitutione solutio creditoris creditoris facta v. g. si ego 100. imp. tibi debitos solvi tuo creditori , nihil amplius tibi debeo. Ratio est: quia jam transstuli in me Jus tui creditoris , quod ergâte habebat ideo.

ideoque possum compensatione te aliquid à me pententem justè repellere, undecunque illud debitum provenerit, dummodo debita sint ejusdem qualitatis: nam si tu v.g. Petro 100. debeas, sed habeas alios creditores anteriores & privilegiatos, qui Petrum excludant, quando tua non sufficiunt ad solvendum omnibus, tunc ego non liberabor, si Pietro solvam 100., quos tu ipsi debes: non enim transfero majus jus, quam habebat Petrus; sed non habebat jus ut ipsi solveretur debitum, quando tua bona non sufficiunt pro omnibus creditoribus; ergo neque tale jus in me transfero, adeoque à compensationis beneficio excludor.

Q. 4. Quomodo excusat Judicis vel juris auctoritas?

R. Qui per justam Judicis sententiam non nitentem falsâ præsumptione, aut per justam legem acquisivit rem alias alienam v.g. præscribendo &c. non obligatur amplius restituere.

Q. 5. Qualiter compensatio juris excusat?

R. Excusat à restitutione compensatio: quæ propriè & juridicè accepta est, quando duo sunt sibi mutuo debitores, tunc, si debita sint æqualia, extra easus exceptos, debitum absque Judicis autoritate in conscientia extinguitur, quamprimum creditor incipit debere tantum suo debitori, quantum sibi prius erat debitum:

Porrò casus à jure excepti sunt 1. Debita Regi vel Reipublicæ in communem & publicam utilitatem l. in ea 3. C. de compen. lib. 4. t. 31. 2. Debita titulo depositi L. si quis i i. C. depositi lib. 4. t. 34. & probabiliter debita titulo commodati. 3. Si res aliena sit debita ex furto l. fin. C. de compens. 4. Si debita non sint æqualiter liquida. 5. Debita alterius speciei: quia si res aliqua sit in specie debita, non

non satisfit solutione pretii; titulum tamen retorsio-
nis ejusmodi debitor creditori opponere potest L. si
non sortem 26. §. si centum ff. de condic. indeb.
lib. 12. tit. 6.

Q. 6. Qualiter excusat compositio sive dispensa-
tio summi Pontificis?

R. Excusat à restitutione compositio cum summo
Pontifice, quæ est, quando super quibusdam bo-
nis restituendis accipitur à summo Pontifice licentia
vel dispensatio, ut aliquā portione bonorum resti-
tuendorum pauperibus vel ad aliam piam causam
erogatā, cætera debitor sibi servet; hæc compo-
sitio excusat, si obligatio restituendi sit ex jure posi-
tivo, ut si quis ex redditibus Ecclesiasticis male per-
cepit teneretur ad restitutionem: hæc quippe sub-
stant summi Pontificis dispositioni; cum autem
cuncta debita cunctis creditoribus, si sint certi, sint
restituenda, compositio ordinariè locum non habet,
cum absque legitima causa Pontifex unius bona non
possit donare alteri, neque enim est Dominus bo-
norum pertinentium ad subditos, sed cuiusque ju-
ris defensor & Judex. Si verò creditores sint incer-
ti, etiam componere potest summus Pontifex tan-
quam dispensator bonorum pauperibus debitorum,
ut parte aliquā in pauperes erogatā reliqua reti-
neantur.

Q. Ultimò an excommunicatio creditoris excuser
à restitutione?

R. Negative: quia excommunicatio non privat
coimmunione, nisi secundum quod in jure exprimi-
tur, nullibi autem exprimitur, quod ob excommu-
nicationem negari possit illud, quod ex justitiâ de-
bitum est, nisi ab obligatione expressè solvatur de-
bitor, sicut in can. nos sanctorum 4. & can. jura-
tos milites §. caus. XV. **Q. 6.** Vasalli eximuntur ab
obli-

obligatione fidelitatis , ad quam per juramentum se obstrinxerant , accedit , quod omnino transeun- ter & leviter communicetur creditori per hoc , quod ei solvatur debitum. Et in can. quoniam multos 103. Caus. XI. Q. 3. inquit Greg. VII. *Si quis ex-communicatis non in sustentationem superbiae , sed hu- manitatis causa dare aliquid voluerit, non prohibemus.* Multò minùs censeri debet esse prohibitum excom- municato ex justitia debitum solvere, per se loquen- do: quod addo : quia si debitor verisimiliter judica- ret excommunicatum à contumaciâ recessurum , si aliquamdiu fieret solutionis dilatio , non tantum posset, sed etiam deberet ex charitate solutionem differre.

Si dicas : Excommunicatus non auditur , si in judicio debitum petat , ergo neque illud eidem sol- vendum est.

R. Negando consequentiam : non enim tollitur obligatio in foro conscientiae , per hoc quod in foro externo denegetur actio.

DISPUTATIO XXX.

De contractibus.

CONTRACTUS dictus à contrahendo, è quod simul- taneâ voluntatum consensione suscipiatur ob- ligatio vel ex parte unius vel ex parte utriusque, qui solus strictè contractus appellatur, ad quem velut ge- nus se habet pactum à pactione dictum ex L. I. ff. de paet. lib. 2. tit. 14. in qua ita definitus: *duorum plu- riumve in idem placitum consensus.* De strictè sump- to contractu sic.



QUA-